

Zu der

öffentlichen Prüfung

der Zöglinge

des Königl. Joachimsthalschen Gymnasiums,

welche

Sonnabend den 28^{ten} September 1844

veranstaltet werden soll,

ladet ehrerbietigst ein

der Director

AUGUST MEINEKE.

Inhalt :

1. Eine Abhandlung von Herrn Adjunct Rehdantz: Specimen libri „*Vitae Iphicratis Chabriae Timothei Atheniensium.*“
2. Schulnachrichten vom Director.



Berlin.

Gedruckt in der Druckerei der Königlichen Akademie
der Wissenschaften.

1844.

E libro quem iam in lucem editurus sum „Vitae Iphicratis Chabriae Timothei” aliquam partem quodammodo integram hic typis exscribendam data facultate curavi. Capite primo continentur res belli Corinthiaci post Cnidium proclium terra gestae, capite secundo quas Iphicrates et Chabrias per decennium 390-380 egerunt aut civibus officia praebentes aut peregrinis (Seuthi Thraci, Euagorae Cyprio, Acoridi Aegypto) gratum facientes.

CAPUT III.

Res Graecorum a recepta a. 379 exeunte Cadmea usque ad Timothei pacem a. 374 conciliatam.

§. 1.

Pax Antalcidea violata. Cadmea recepta. Chabrias et Cleombrotus Athenienses bellum indicunt.

Revertit ex Aegypto Chabrias in patriam quo tempore Lacedaemoniorum potentia stabilita ac munita esse omnibus praesidiis videbatur. Qui Persarum freti auxilio Thebanos coegerunt Bocotiorum urbes in libertatem restituere — Plataensium oppidum statim post pacem Antalcideam reficitur (Paus. IX. 1, 3) —, Argivos Corintho excedere, quo qui Laconum partes sequebantur redierunt rebusque praefecti sunt; uno eodemque tempore Olynthios quos imperium Chalcidicarum urbium tenere aegre ferebant, ac Phliasios (hucne Dem. π. σφιδταξ. 32?) bello persequentes, Cadmeam contra ius fasque occupavere. Multis oppidis amici Spartanorum praecerant, multa praesidiis tenebantur, ab insulanis tributum exigebatur (Isoc. paneg. §. 131; Polyb. VI. 49, 10), Artaxerxes Persarum rex, Dionysius tyrannus Syracusiorum, cui in obtinenda tyrannide praesto fuerant, amicitiam appetebant Spartanorum, Amyntas rex Macedonum et Molossi gens Epirotica beneficiis devincti erant. „Omnino pulchre ac tuto imperium videbatur fundatum esse” (Xen. V. 3, 27). „Graves erant per totam Graeciam incolarum miseriae, agrorum depopulationes, excidia oppidorum” (Lys. Olymp.; Isoc. paneg. §. 115. 167; cf. Thuc. II. 82, 83).

Exeunte a. 379 (Ol. 100.2) Thebanorum principibus ab exsulis interfectis vulgo ad arma libertatemque vocato, cum non solum qui in urbe erant, sed undique e Boeotia concurrerent, Lacedaemonii sociique, qui in praesidio arcis erant, inopia frumenti pressi, cum obsidionem diutius ferre non possent domum arce dedita reverterunt. Incepti conscii Atheniensium nonnulli die post noctem qua caedes principum Thebanorum facta est insecuto occurrerunt, tum petentibus Thebanis magnus Atheniensium exercitus oppugnatum Cadmeam advolat, qua capta redierunt (1). Lacedae-

(1) Ipsi mihi probare non possum hanc rationem tollendi natas e diversis scriptorum narrationibus difficultates, quarum haec summa est:

Xen.: Exsules redeunt; noctu caedes principum. Postero die οἱ Ἀθηναῖοι οἱ ἀπὸ τῶν ὀρίων §. 10 et 12 (sc. οἱ δύο τῶν στρατηγῶν incepti conscii §. 9) Thebas perveniunt. Cadmea oppugnatur, capitur. οἱ Ἀθη. οἱ ἀπὸ τ. ὄρ. aderant cum arx dedebatur.

Diod. (c. 25): Exs. red. συνεπιλαβόμενων Ἀθηναίων. noctu c. p. P. d. Thebani arcem oppugnare coeperunt, Athenas de auxilio mittunt, Ath. παραχρῆμα manum quam maximam mitti iubent*). Demophon collectis illico militibus 5500 postero die quam celerrime Thebas proficiscitur. Praeterea ut omnes cives si opus fuerit egrediantur decernitur. Advenit Demophon et multi Boeotii, acrius arx oppugnatur, deditur, Lacedaemonii paulo serius accedunt, Athenienses redeunt.

Dinarch. (c. Dem. 38): Patrum memoria ex oratoribus alii cum Cadmea arx a Lacedaemoniis praesidio teneretur auxiliati exsulis Thebanorum in patriam reversis τοῖς ἰδίοις κινδύνοις**) urbem finitimam liberarunt, alii (velut Cephalus) iusserunt (et ita populus decrevit) Athenienses exire adiutum exsules Thebanorum in patriam reduces, et egressis patribus nostris Lacedaemonii paucis diebus pulsi.

Aristides (panath. 172, 17): Athenienses δεξάμενοι μὲν τὴν φυγὴν καὶ τὴν πρᾶξιν αὐτοῖς (Thebanorum exsulis) συνθέτες — ἐπειθ' ὡς καὶ τῆς διὰ τῶν ὀπλῶν ἐδέησε βοήθειας ἐξεληθόντες μικροῦ πάντες — ἐκβαλόντες τὴν φρουρὰν καὶ τοὺς ἀρμοσᾶς ὑποσπόνδους***).

Idem (συμμ. α' or. XXXVIII. p. 486; cf. συμμ. β' I. p. 498, 8) τὴν τε φυγὴν ἐδεχόμεθα καὶ ἐπεὶ τῶν ὀπλῶν εἶδει παύμεν πανδημί — καὶ Λακεδαιμονίους ὑποσπόνδους ἀπηλλαξάμεν.

Schol. Aesch. d. f. I. §. 117, 1. Ἀθηναῖοι γὰρ εἰσιν οἱ τῆς Ἀρχίσου (l. Ἀρχίου) τυρανίδος αὐτοῦς ἀπαλλάξαντες καὶ τὴν Λακεδαιμονίων φρουρὰν ἐκ τῆς Καδμείας καταβαλόντες.

Plutarch. de auxilio Atheniensium suo loco nihil locutus alibi (c. 15 vit. Pelop.) innuit, usus voce „πάλι”.

*) „τέλος Demoph. missus” non est „tandem i. e. sero D. m. est”, sed spectat orationes quae permultae in concione habitae erant, quibus habitis postremo decretum est, ut D. mitteretur, an Diodorus scriptoris cuiusdam uberiori harum rerum expositione amputata hoc verbo τέλος utebatur?

**) suis ipsorum periculis (auf ihr Risiko) inde natis, quod inscio populo adiuverant? an, quod magis placet (etiam Bauchio in V. Epaminondae p. 16, nr. 29 qui de ratione tamen auxilii nil decernit): alii militando alii concionando (factis alii alii orationibus) suppetias ivere?

***) Scholiastarum ineptias non iuvat apponere nec putarim quod B. D. ad 173 exhibent τότε γὰρ ἐλίγους ἐπεψαν μετ' αὐτῶν, ἣν δὲ τελείαν δύναμιν, id de duplici, quamquam duplex mea opinione erat, auxilio in recuperanda arce lato intelligendum, sed de auxiliariis illis copiis Haliartum missis, quarum rhetor mentionem fecerat. Sed ipse vide.

monii sociique domum iter facientes in finibus Megarensium magnum suorum exercitum apprehendunt. Sic Plut. (Pelop. 13) et Diodor. (25). Contra Xen. (V. 4, 14) „Ephori enim, certiores facti ab iis qui cum caedes fieret principum Thebanorum (Ita si explicas non pugnat Xenophon cum Plutarcho et Diodoro) fugerant, Cleombrotum tunc primum imperatoris munere fungentem miserunt, quamvis aspera hiems esset. Qui cum viam quae per Eleutheras erat, a Chabria⁽²⁾ peltastisque Atheniensium occupatam esse cognovisset⁽³⁾, via Plataeas versus ducente ascendit. Sed se-

Iam eae quaestiones proponendae sunt:

prima: Num quos Xen. vocat *οἱ ἀπὸ τῶν ὄρ. Ἀθ.* sive *οἱ δύο τῶν* (sc. decem?) στρατηγῶν, quos sine populi scito profectos esse et ex celeritate qua advenerunt, et e narrandi ratione qua Xenophon utitur, ex eo denique quod damnatos postea duos imperatores (non oratores ut Lachmann hist. Graeciae post b. Pelop. p. 247) dicit §. 19, recte suspiceris; num hi iidem sunt atque illi 5500, quos Diodorus Demophonte duce missos esse populo iubente tradidit?

secunda: Nonne Diodorus Dinarchus Aristides consentiunt, magnam Atheniensium manum iubente populo praesto Thebanis fuisse?

tertia: Diodori verba *συνεπιλαβόμενων Ἀθην.* quis aliter interpretetur ac: scientibus Atheniensibus et faventibus exsules redierunt? De armis hoc loco non cogitandum.

quarta: Quid de Xenophonte tibi videtur?

Lachmann p. 243, n. 3: „Xenophon Atheniensis aëns a finibus auxilio advolasse confudit ut videtur Thebanorum manum cui Pherenichus praecerat (cf. Plut. de genio Socr.). Omnino quae de capta Cadmea sunt tradita, manca sunt, partim falsa.”

Sievers hist. Graec. post b. Pelop. p. 182, n. 51 unum fuisse (praeter voluntarios Dinarchi) auxilium ratus, duces (Demophontem) non ex populi iussu egisse dicit, et qui populi decretum afferat Dinarchum non accurate reddidisse decreti verba, quo fortasse exercitus progredi ad fines Boeotiae iussus fuerit.

Maetzner ad Dinarch. p. 112: Ipsi exsules Ath. adiuvantibus videntur rediisse. Din. Xen., qui duos duces Ath. advocatos esse narrat, cf. Plut. Pelop. 12 — postea damnatos, Xen. Plut. Pelop. 14. Minus accurate Diod. Postea vero Cephala rog. (Din.) decretum est, ut auxilia mitterentur Thebanis Diod. 26. — Isoc. Plataic. 28 et Plut. Ages. 24 Athenienses vocant liberationis auctores.

Thirwall History of Gr. V. p. 31 sine populi iussu duos duces dicit ad fines Atticae progressos inde postero die auxilio advolavisse. Vater v. Pelopidae in Iahnii ann. suppl. vol. VIII. p. 344: „Id quidem apertum esse videtur quod complures Ath., praecipue duces duo rei conscii in finibus versabantur unde Thebanis auxilio venere. Qui cum a populo statim post [?] ad iudicium vocati sint non est verisimile iam tum populi scito subsidium Thebanis latum esse. Haud dubie scriptores [num Dinarchus quoque?] quod duces illi duo sua sponte gesserunt id rei publicae iussu factum esse existimaverunt ac facilis error erat propterea quod postea cum Sphodrias impetum fecisset foedus est inter Ath. et Theb. conciliatum.”

(²) Ex hoc loco et Diodoro XV. 26 Vater colligit, Chabriam et Demophontem suo periculo esse Thebanis auxilio profectos, de qua re v. not. 4 cf. not. 26.

(³) Schol. Arist. panath. 172, 10 ὅτε μετὰ (κατὰ cod. Frommelii p. 498) τὴν κατάληψιν τῆς Καδμείας οἱ περὶ Χαβρίαν Ἀθηναῖοι πρὸς Κλεόμβροτον ἐπολέμησαν τὸν Λάκωνα: quamquam non recte scholiasta rhetoris

decim omnino dies in agris Thebanorum moratus, illato quam minimo damno domum abiit ac Thespiis Sphodriam harmostam reliquit. Athenienses vero conspectis Lacedaemoniorum copiis se a Thebanis sciungere coeperunt (').

verba „Λακεδαιμονίοις ἐπέξελεύοντες“ intelligere videtur. — Ceterum de his viis cf. Muenscher de reb. Plataens. Hanau 1841, p. 9 sqq.

(⁴) Xen. V. 4, 19: Athenienses quum Lacedaemoniorum copias conspicerent iamque non amplius apud Corinthum bellum geri viderent sed Lacedaemonios Atticam praetergressos Thebas invasisse: tanto metu exanimati sunt, ut duobus illis imperatoribus qui conspirationis Mellonis conscii fuerant in iudicium vocatis alterum morte multarent, alterum qui iudicium exspectare noluerat in exilium agerent.“ Seire velim num quis tanti facinoris hanc causam accipiat. Quid? quia invasionem Lacedaemoniorum viderant in Boeotiam factam esse, non puduit eos, damnare imperatores quorum facta suis decretis comprobaverant? Dices metui cesserunt (certe ita praeter Xenophontem Plutarchus praevit in vit. Pelop. 14. ab illo, opinor, mutuatus); sed unde iste metus? — quum subveniendum esse iusserunt, tum Atheniensibus fuit secum reputandum Lacedaemonios nullo spatio intermisso copias adducturos esse — Reputaverant providerantque Chabria obviam misso — Unde igitur subitus iste metus? Si modo Cleombrotus aliquid profecisset, sed quam minimo damno illato rediit — qua re, credo, animus Atheniensium reddendus fuit, immo erigendus. Quid vero? Finxit Xenophon? Non crediderim finxisse eum, fortasse probabo peccavisse secutum nimiam brevitate. Iam adhibe Isocratis Plataicum §. 29: „Unde etiam perfidia Thebanorum maxime perspecta est. Nam denuo (379) vestris auxiliis conservati et in patriam restituti ne minimum quidem tempus in fide manserunt, sed mox legatis Spartam missis ultro servituti se obtulerunt parati servare omnia quae pridem promisissent. Quid multa? Nisi enim illi iussissent exsules recipi et facinorosos urbe expelli, nihil obstitit, quominus inita cum Lacedaemoniis a quibus laesi erant societate optime de se meritis bello petiissent.“ Non mirum profecto Thebani fecerunt, si de studio ac celeritate Lacedaemoniorum certiores facti ipsorum copias nondum instructis maluerunt pacto quam armis rem componere. Certe idem non multis ante annis Atheniensibus contigerat. Cave igitur ne mendacii Isocratem coarguas, qui oratione sex annis post habita legatos a Thebanis missos esse asseverat. Qui legati utrum moram interposituri an missi sint revera pactionem facturi, quis affirmabit? Hoc magis placet. Nam cum specie quadam veritatis condiciones quas Ephori dixerunt, ab Isocrate enarrantur. Eas in quaque exsulum reductione latas esse videmus (cf. enc. Ages. II. 21. Xen. Hell. V. 1, 34. Dem. Lept. 54). Imperatur ut qui fugerant restituantur (eosdem Xen. significat §. 14 Ephori certiores facti ab iis qui caedem effugerant), occisores, inimicissimi videlicet Spartanis, expellantur — Atque actum de pace fuisse dabis comperto quomodo se Cleombrotus gesserit §. 16: „domum abducit milites suos dubios admodum paxne cum Thebanis an bellum esset. Nam in agrum quidem Thebanorum copias duxerat sed ita discessit ut quam minimum detrimenti iis inferret.“ Et frustrari quidem maxime Cleombrotus potuit, cuius avus Pausanias ob clementiam qua in Athenienses usus erat pulsus est (Paus. III. 5. Xen. III. 5, 13. Schol. Aristid. 165, 4), pater Agesipolis libertatem Graecorum omnium contra Agesilaum servandam esse ducebat (Diod. XV. 19. Xen. V. 3, 20 cf. §. 16 ibique Schneid. et Manso Sparta t. III. app. 1. Et nescio an apud Maxim. Tyr. VI. p. 97 ed. Reisk. legendum: ἀλλὰ καὶ Ἀγησίλαος Ἀυσάνδρῳ φθονεῖ καὶ Ἀγησίπολις Ἀγησίλαον (pro vulg. Ἄγην) μισεῖ, καὶ Κινάδων τοῖς βασιλεῦσι ἐπιβουλεύει. Ipsi Cleombroto crimen Thebanorum partibus vendi afferebatur (Xen. VI. 4, 5 sqq. Plut. Pelop. 26. Polybius IX. 23, 6 coll. fr. 15 — Cf. in

Quo perterriti Thebanorum principes quum bellum inter Lacedaemonios et Athenienses utique movendum esse existimarent, Sphodriam mercatoris cuiusdam opera verbis donisque impulerunt ut (vere a. 378) Piraeum occuparet. Re iuncta discessit. Sed Athenienses cum frustra Spartae questi Sphodriam absolutum esse Agesilao deprecatore cognovissent, violatum censuerunt a Lacedaemoniis foedus esse belloque decreto imperatores creaverunt tres cives nobilissimos Timotheum Chabriam Callistratum (Diod. XV. 29).

§. 2.

Genus Timothei et adolescentia.

Timotheus Cononis filius Anaphlystius ⁽⁵⁾ erat e gente (si Boeckhio ⁽⁶⁾ credis Eumolpidarum.

univers. Lachmann p. 217 coll. 246 et 312. Sievers p. 146 n. 15. Thirlwall V. p. 37 qui non minus id Atheniensium facinus miratus „a temporary reaction” vocat eorum qui Lacedaemoniis favebant.

Igitur hanc illius facinoris excusationem habebimus: Rebus quae a Thebanis agebantur cognitiss Athenienses quo enixius subvenerant eo maiori poenitentia percussi sunt. Sane fuit cur perfidiam illorum illico suspicarentur, quippe qui si tanta Aristidi (panath. 173, 4 et schol.) fides habenda est, columnis quibus foedus factum 3 $\frac{25}{24}$ cum Atheniensibus inscriptum erat paullo post aversis in gratiam cum Spartanis redierant. Confirmat Isoc. Plat. §. 27, 28 et nisi fallor idem ex Andocidis de pace oratione (§. 21 coll. Xen. IV. 5, 6 et supra me I. §. 1) suspicari licet. — Contra legati Lacedaemoniorum (Xen. V. 4, 22) multa promississe videntur. Ulp. p. 246 ed. W. ad Dem. Ol. β', 24: Λακεδαιμονίους μὲν ποτε ὦ α. Ἄ. ὑπὲρ τῶν Ἑλληνικῶν δικαίων ἀντίρατε (Ulp. post receptam ab exsulis Cadmeam) καὶ πολλὰ ἰδίᾳ πλεονεκτήσαι πολλάκις ὑμῖν ἔξεν. οὐκ ἠβελήσατε seq., ubi Ulp.: κ. πολλὰ ἰδίᾳ] ἢ α. λαμβάνοντες χρήματα παρα Λακεδαιμονίων συγχωρήσασιν αὐτοῖς ἀδικεῖν ἀδελῶς τοὺς Ἕλληνας. De pecunia ipse excogitavit. Sed tantum absfuit ut sibimet irascerentur, ut e more Atheniensium punirentur qui perfecerant id quod tum populus exoptaverat. Quae si ita fuisse statuimus, alterius facinoris nescio an aliquanto meliorem explicationem nacti simus. Sphodriae dico rem infelicis operae Eum iam non mirabimur a Thebanis (ita Xen. V. 4, 20. Plut. Pelop. 14. Ages. 24. — Diod. 29 Cleombrotum falsissime profert auctorem) ut Piraeum occuparet commotum fuisse, si quid agerent cum Lacedaemoniis ostendissent totosque se ab Ath. disiunctos esse. Ἀρχίδαμος (Aeschin. c. Ctes. §. 139 καὶ οὗτος Ἀρχίδαμος ὁ πηλὴξ καὶ δυνατὸς εἰπεῖν καὶ πολλὰ κενίδυνηκῶς ἐν τῇ πόλει διὰ Θεβαίων idem esse recte Vatro p. 346, n. 54 videtur) apud Plutarchum d. gen. Soc. 575 d. ait se quomodo Cadmea liberata esset cognitum Thebas profecturum fuisse, εἰ μὴ καὶ ἦν Ἀθηναίους πέρα τοῦ δέοντος ἰδοῦσαν βροσιτίζεν.

⁽⁵⁾ Vide ad tempus Boeckh. de re navali p. 151. — nos infra cap. VII. Gentis nobilitatem nunquam non magni faciebant. cf. Plato Gorg. p. 512, Demosth. in Androt. p. 612 et 614, Iphicratis et Harmodii litem de qua v. infra.

⁽⁶⁾ Boeckh. in C. Inscr. ad inscriptionem Eleusine repertam nr. 393, p. 445 ----- ἐπὶ ἱερείᾳ Κλαυδίας Τειμοθέως τῆς Τειμοθέου Γαργητίου βυ[γχετος] (coll. nr. 435). p. 446: „Ptolemaeo Lagide rege

Patre ortum clarissimo et nobilissima gente quis est qui Timotheum vili et inhonesta matre natum fuisse libenter accipiat, quamquam Athenaeus (XIII. 577. a.) „Timotheus, inquit, qui dux fuerat Atheniensium manifesto (ἐπιφανῶς) scorti filius pro gente Thressae pro moribus vero honeste se gerentis (σεμνῆς δ' ἄλλως τοὺς τρόπους). Tales enim feminae si quando mutantur in honestum (εἰς τὸ σῶφρον), eas exsuperant, quarum magna honestatis fama est. Ac Timotheus cum irrideret quod tali matre uteretur, et gratiam, inquit, ei habeo quod per eam Cononis sum filius.”

Sed fidem Athenaeo non habeo, qui neque ipse auctorem huius rei aliquem attulit neque inter omnes scriptores adstipulantem ullum nactus est. Quamquam non raro verba de viro clarissimo fiunt et servata est adversus eundem habita oratio aliis conviciis referta. Ac si quis existimaverit Athenaeum putavisse in re a nemine unquam dubitata (quippe qui ἐπιφανῶς (?) dicat) se posse testimoniis supersedere, dabo quidem, de origine imperatoris rumorem posteriori aetate in vulgus editum esse, sed dubitationi num verus fuerit locum relictum esse persuasum habeo. Unde iste natus sit rumor quomodo explicem non habeo nisi, quem Conon in Cypro pellice ortum filium habuerit (8), cum comprobabis a vetere quodam scriptore cum Timotheo confusum esse. Sin aliter statueris, in sententiam Meieri (9) tibi eundem erit, qui, ut Iphicratis, ita soceros Miltiadis Cononis in civitatem Atheniensium receptos esse suspicatur.

Conon, Timothei filius (Paus. III. 9, 2; VIII. 52, 4) deperdita apud Aegos flumen classe domum reverti, ut supra memoravimus, metuens Cyprum ad Euagoram Salaminiarum regem cum reliquis navibus se contulit, ubi aliquantum temporis in cu-

Timotheus e gente Eumolpidarum antistes caeremoniarum Eleusine fuit. Tac. hist. IV. 83 ex quo quidni hic descenderit? Praeterea olim Timothea Glauci f. uxor fuit Medei ἐξηγητοῦ ἐξ Εὐμολπίδων Ps. Plut. vit. X orat. Lycurgi. Familiare igitur Eumolpidis hoc nomen: ac nisi fallor etiam Conon et Timotheus clari illi imperatores fuerunt Eumolpidae. Daduchis coniuncta familia illius μυνηθείσης ἀφ' ἐξίας cuius n. 448 mentio fit (ἡ ἀπο διαδούχων καὶ γένους ἀπὸ Περικλέων οὔσα Κορώνων) et illa Cononum gentem suam celebrat, (quamquam etiam Pericleam). Et cur Timotheus Cononis f. Isocratis statuam Eleusine ante prostoum templi posuit [v. nos infra VI. §. 5]? Anne hoc licuisset, nisi persuasisset Eumolpidis? Quo credibilis est eum et ipsum Eumolpidam fuisse.” [Quo referendus est qui sub Ptolemaeo Sotere erat Timotheus ἐξηγητής? Plut. de Isid. p. 362 A.] — Verisimillimam hanc coniecturam vocat Bossler de gentib. et famil. sacerdotal. 1833 p. 25. Inter Eumolpidarum nomina „Timotheum” citat Meier de gentilit. Att. 1834 p. 41.

(7) quamquam nominis et adverbii rarus esse in hac significatione usus videtur (v. Steph. thesaur. s. v.) tamen alteram „clare” hic exhibere nolui, quae si cui magis placuerit, coniungat cum superioribus sic.: Τιμοθ. δ' ὁ στρατηγῆσας Ἀθηναίων ἐπιφανῶς T. qui Atheniensium copiis praefectus clare rem gessit.

(8) Lysias d. bon. Arist. 36. v. nos infra.

(9) de bonis damnatorum p. 46, ubi in n. 138: ἐταίρας notam comici et oratores optimaе cuique adspergunt.

randis et gerendis negotiis privatis consumebat (¹⁰). Patremne Timotheus secutus cum eo in Asiam, inde in Gracciam traiecit? Hoc colligere aliquis possit e Pausania (II. 3, 14) qui de Ionum inconstantia verba faciens, a quibus statucae primum Alcibiadis, tum Lysandri aliorumque Lacedaemoniorum positae fuerint „iam vero, pergit, commutata rursus fortuna quum Conon apud Cnidum — vicisset, adeo mutati sunt Ionum animi, et Cononem aeneum et Timotheum Sami videre licet iuxta Iunonem [sc. in templo Iunonis clarissimo] itidemque Ephesi iuxta deam Ephesiam [Dianam]”. Etenim simul utramque patris et filii statuam positam esse malim e verbis Pausaniae colligere quam Timothei dicere viginti septem post annis cum Samum insulam expugnasset constitutam esse (cf. me V. 3), quod si cui magis arideat, is idem sentiat necesse est de Ephesiis petamque ab eo ut quando et quam ob rationem ii Persarum imperio post pacem Antale. subiecti ad Timotheum detulerint hunc honorem demonstret. Affirmanti tamen, non sua ut non possit demonstrari sed fortunae culpa fieri cuius iniquitate tanta scriptorum facta sit iactura, non amplius repugnabo. Iuste enim egit nec tacebo, quum historia me eo deduxerit, excogitari opportunitatem posse, qua usi honore Timotheum eo Ephesii affecerint [cf. V. 10. n. 121]. Sin vero simul utriusque positae sunt statucae, Samios et Ephesios addidisse filii existimandum est, ut patri gratum quid facerent.

In patriam Conon medio a. 393 (Ol. 96. $\frac{3}{4}$) rediit, ubi magno civium gaudio, quos maximis beneficiis auxerat (¹¹), exceptus est. Summi honores habiti ei sunt. Ei post Harmodium et Aristogitonem primo statua aenea posita (¹²), ei ἀτελεία decreta (¹³), quae ad posteros transibat.

(¹⁰) Diod. XIV. 39 καὶ ἐν Κύπρῳ διέτριψε παρ' Εὐαγόρου τῷ βασιλεῖ. Justin. VI. 4 et Cypri exsulabat Isoc. Phil. 62 Χρόνον μὲν τινα περὶ τὴν τῶν ἰδίων ἐπιμέλειαν διέτριψεν. Saepius in rerum historia illius aetatis vestigia Theopompi deprehendet qui Isocratem magistrum et Trogum Pompeium asseclam comparaverit. Qua ratione ni fallor decernendum fuerit, quid apud Diodorum et Nepotem debeat Theopompo. Qua de re qui Cononis aut Lysandri vult vitas scribere agere debet.

(¹¹) Persarum amicitiam civibus conciliaverat, Lacedaemonios vicerat, insulanos in libertatem restituerat, muros reficiebat, argentum ad alendos milites mercenarios dedit, praeterea hecatomben donavit (Ath. I. p. 33), Veneris templum in Piraeo exstruxit (Paus. I. 1, 3. Schol. Arist. Pac. 144. cf. I. Franz in annal. Berolin. 1832 p. 959), in templo Minervae donum posuit (Lysias d. bon. Ar. 39) cui inscriptum Κόνων ἀπὸ τῆς ναυμαχίας τῆς πρὸς Λακεδαιμονίους (Dem. c. Androt. 72, c. Timocr. 182). „Caput eius (Cononis) exstat in nummorum uno cum inscr. ΚΟΝΩΝΟΣ ΑΘΗΝΑΙΟΥ. In postica parte Mulier sedens, hastam puram in sinistra tenens: pone eam thorax cum clypeo. Ante Ara accensa, cui supervolat victoria, lauream mulieri porrigens. Infra ut videtur ΕΡΚΟΣ ΑΘΗΝΩΝ.” Bosius ad Nep. Con. 1.

(¹²) Dem. Lept. 69. Ulpian ad Dem. Midian. §. 62. cf. Westermann de publ. Athen. honorib. p. 27. alios.

(¹³) Dem. I. I. 70, 72, 75. de re v. Westermann I. I. p. 40.

Sequenti anno patriam reliquit, seu missus legatus sive avocatus a Tiribazo qui cum Lacedaemoniis multa pollicentibus faveret, Cononem in vincula mandari iussit, unde sciente vel imprudente Tiribazo postquam effugit, Cyprum revertit, ubi paullo post morbo consumtus est (14). Itaque Timotheus, cui (discedens) „pater satis pecuniae reliquerat, reliquam tamen fortunam retinens (erat enim Cononi filius et uxor in Cypro et tuendas ducebat res ibi familiares esse” Lys. d. bon. Arist. §. 36) heres exstitit fortunae opinione quidem omnium minoris, sed in communi civium paupertate plurimi faciendae. Tabulis enim quas postremas Conon (morbidus) in Cypro conscripserat, Minervae ad donaria et Apollini Delphico quinquies mille stateras consecravit, fratris filio, quo honorum Cypriorum omnium custode ac dispensatore utebatur, legavit ad decem millia drachmarum. Fratri tria talenta, reliqua filio (Timotheo) reliquit, septendecim talenta (Lys. l. l. 39). Uxor quam in Cypro alebat et filii quem Conon ex ea susceperat in tabulis nulla mentio fit. Unde aut mortuos esse aut illam concubinam filiumque nothum fuisse apparet. Nec praeter Timotheum filius Cononis legitimus exstitit. De omnibus his Timothei cognatis nihil praeterea traditum est.

Timotheus adolescens (adultus enim erat tum cum Conon Athenis profisciscens a. 392 fortunam ei ad arbitrium administrandam reliquit) laute ac magnifice vivebat. Tangit eum comicus in Pluti fabula (v. 180) a. 388 ($\frac{97}{98.1}$) acta

ἔρᾳ δε Λαίς οὐ διὰ σὲ (ο Plute) Φιλωνίδου;


ὁ Τιμόθεου δὲ πύργος — (sc. nonne per te factus?)

ubi scholiasta: πολλοὶ δε Τιμόθεοι κωμωδοῦνται, νῦν δε τοῦ στρατηγοῦ μέμνηται ὃς ὑψηλὸν πάνυ πύργον (15) ἐποίησεν ὡς πλούσιος, alter: ὁ Τιμόθεος πλούσιος ἄμα δὲ καὶ ὀλίσιος ἀνὴρ στρατηγὸς Ἀθηναίων τεῖχος οἰκοδομήσας, ex quo Suidas v. Τιμ.: οὗτος ὁ Τ. πλούσιος ἂν καὶ στρατηγὸς Ἀ. τεῖχος οἰκοδόμησεν.

Timotheam sacerdotem supra vidimus e gente imperatoris fuisse. Lapis (C. I. nr. 435) cui nomen eius et votum inscriptum est in campo Rario, in domo altius sita, quae πύργος dicitur. Num de aedificio quod comicus dicit cogitandum, cui forsasse adhaesit nomen proprium factum velut nostrum „Timotheus-Thurm”? Nec magis mihi liquet, utrum huc referendum, quod Antigon. Caryst. ap. Ath. XII. p. 548

(14) E Diodoro XIV. 85, XV. 43, Isoc. paneg. §. 159, Iustino VI. 5, 8 si quis interfectum esse Cononem a Persis statueret, quamquam non expressis verbis dicunt, Nepotem adeat in vita Con. c. V. Lys. d. bon. Ar. 39, 43. Schol. B. D. Arist. panalh 170, 7 ὁ δὲ (Conon) δυνατὴς φυγεῖν πάλιν πρὸς Εὐαγόραν κωμίζεται. Causam, ob quam Conon captus est, et eam habeo, quod Tiribazus bellum a rege contra Euagoram sciens parari huic quominus amicus tam prudens clarusque praesto sit, impedire voluit. Sed suo periculo cum talem virum necare timeret, fugiendi facultatem, ut videtur, dari iussit.

(15) de turribus hisce (splendidis aedificiis) cf. Boeckh C. Inscr. II. nr. 3064, nihil fere habet Leake „de demis Ath.” p. 85 germ. interpr. et quem laudat, Meurs. Ath. XII. 1.



a. dicit: Lycon Peripateticus non ut Plato et Speusippus antecessores vivebat sed lautissime καὶ ἐν τῷ ἐπιφανεστάτῳ τῆς πόλεως τόπῳ, ἐν τῇ Κόνωνος οἰκίᾳ. Aelianus Digenem Laertium tradentem (in vita Demetrii 75): Δημήτριος Φανοςστράτου Φαληρεὺς — οὐκ εὐγενὴς ὤν. Ἦν γὰρ ἐκ τῆς Κόνωνος οἰκίας, ὡς Φαβωρίνος — ἀλλ' ἀστὴ καὶ εὐγενεῖ συνώκει, secutus (var. list. XII. 43): Demetrium, inquit, Phalercum ferunt οἰκοτρίβῃ ἐκ τῆς οἰκίας Τιμοθέου καὶ Κόνωνος (ἐκ τῆς οἰκίας K. hoc loco est „e familia e servis C.“, apud Antigonum „in aedibus“, nisi a Diogene (et Aeliano) falso intellectum esse Phavorinum vel ipsum Phavorinum falsum esse suspicatus fueris). Fortasse peripateteici aedes, quae Timotheo tum Cononi fuerunt eius filio, quo convenirent emerant. Quae tamen domus in urbe sita erat, campus Rarius, in quo Πύργος ille, prope Eleusinem erat (Paus. I. 38, 6). Praeterea alteram Timotheus domum possidebat. Nam eius ἡ οἰκία ἢ ἐν τῇ Ἰπποδαμείᾳ (Dem. in Tim. §. 9, §. 34 saepius) circa a. 373 commemoratur, unde et extra Piracum domum ei fuisse intelligitur.

Eodem circiter tempore quo Plutus fabula acta est Lysias (¹⁶) „agite, inquit, iudices, sic rem spectate. Si quis vestrum fortuito Timotheo Cononis filio filiam sororemve in matrimonium dedisset [maturus igitur erat] et absente illo inque invidiam vocato bona publicarentur (quod ne fiat nisi magnum inde bonum reipublicae existat, infra §. 38 addit) sub hasta et quatuor, venditis omnibus, talenta redigerentur, propterea impetraretisne a vobis ut affines eius (¹⁷) perirent, quod non ex minima quidem parte opinionem vestram bona illa aequassent? sed non veri est simile“ [sc. maiorem fortunam repertum iri].

Fides igitur habenda est auctori Erotici (¹⁸), sive is Androtion est, seu Demosthenes sive alius quis, qui „ut recentioribus (ὕπογυιστότεροις), inquit, exemplis utar (eorum qui discendo philosophiam proveci sunt), Timotheus οὐκ ἔξ ὧν νεώτερος ὤν ἐπετήδευσεν, ἀλλ' ἔξ ὧν Ἰσοκράτει συνδιατρίψας ἐπραξέ, summos honores summamque gloriam consecutus est“.

(¹⁶) de bon. Ar. 34, 38 (a. 3²³/₃ habita. v. Clint. h. a.) e quibus locis audacius Meier coniecit (d. bon. damn. p. 195, n. 120) Timothei bona perpetuo in periculo fuisse. Hoc exemplo orator utitur aptissimo, quia Aristophanis pater et Timothei amicitia coniuncti erant et communis honorum utriusque fons fuerat. Simul profere reo Cononis laudes credibile erat. An Meier dheméusete e codicibus quibusdam retinuit? cf. de §. 38 Palmer. exercit. p. 665, Schicbe observ. in orat. Att., Halae 1836, p. 9, Franke ap. Zimmerm., 1837, p. 255, Funckhaenel ap. Iahn, 1837, 3, p. 194.

(¹⁷) Saupii emendatio. cf. de h. l. Sluiter lectt. Andocid. ed. Schiller circa p. 269.

(¹⁸) §. 46. Cf. Schaefer app. crit. ad Dem. V. p. 630, Labanti traduz. d. Isoc. p. 117. Coraes Isoc. T. II. p. 40, Westermann quaest. Demosth. II. p. 70-85 (de epitaphio atque erotico, Lips. 1831, c. IV. p. 82), Becker „Demosth.“ ed. II. p. 182. Androtion autem ἐστὶ — Ἰσοκράτους ἐταίρων ἐπίσημος, Ulpian. 202 b. (cf. Funckhaenel praef. ad Androtianam, Lips. 1832). Orelli ed. Isoc. de antid. p. 312 not. Androtionem exempla de Pericle Timotheo et Solone ex orationis de permut. parte nuper reperta (§. 73-309) sumsisse dicit. Dubito.

De necessitudine quae inter Timotheum et Isocratem intercessit, qua ratione et quo tempore orsa sit, nihil certi statuendum. Tamen non plane a vero aberrare in his videar: „In primis, Isocrates ait (de perm. 93) qui me adibant Eunomus erant et Lysitheidēs et Callippus, tum alii, quos omnes coronis cives donarent — quia probos se gesserant et e bonis suis multa pro republica consumserant.” „Cum Conone (Lysiae verba sunt d. bon. Ar. 19. 20) legatos in Siciliam mittere vellet, munus hoc Aristophanes suscepit una cum Eunomo (¹⁹) et Lysia.” Isocrates (Phil. 81) „ἐπέσειλα (epistolam dedi) πρὸς Διονύσιον τὴν τυραννίδα κτησάμενον”. Quod cum veteres non ignorarent, exstitit qui epistolam nobis adhuc sub Isocratis nomine (ep. I.) venditam ad Dionysium (²⁰) conscriberet, quae neque in res Dionysii maioris nec minoris convenit. Illud quidem in dubium vocari non potest, quod Isocrates litteras et, ni fallor, orationem ad Dionysium maiorem misit (cf. epist. Socrat. 30 ed. Or.). Atque opportunius tempus ubi id faceret excogitari vix potest, quam quo legati Conone suasore Syracusas missi sunt. Suspicio igitur, oratorem litteras nescio an petente Conone, Eunomo perferendas dedisse. Inde Isocrates familiaritate cum Conone contracta (per eumque cum Euagora v. Engel Kypros p. 332), cuius amicitiae ille multo etiam tempore intermisso bene meminit (ep. VIII. ad Mitylen. §. 8, cf. infra VI. §. 5) familiariter cum Timotheo, amici filio agere coepit. Lysitheidem (de quo v. infra VI. 8), alterum inter primos Isocratis discipulos Timotheo videbimus notum, fortasse familiarem fuisse.

Mutata igitur, postquam in oratoris se amicitiam dedit, ratione vivendi Timotheus res familiares auxisse videtur ac decem fere post annis (378) cum novus honorum census haberetur (²¹), Demosthenis tutores „in classem (εἰς συμμορίαν) pro eo de vicenis quinque minis drachmas quingenas conferebant, tantundem quantum Ti-

(¹⁹) Meierum d. b. d. p. 53 pro Εὐνόμου καὶ Λυσίου emendantem Εὐνόμου Καρυστίου iure refellit Dryander de Antiphonte p. 63 (cf. Franz de Lysia p. 6, Scheibe ap. Iahn, 1841, p. 360) qui et ipse eundem fortasse fuisse atque Isocratis discipulum coniicit. Schneid. ad Xen. Hell. V. 1, 5 Eunomum Lysiae suspicatur eundem esse ac Xenophontis, qui Eunomum XIII navibus a. circiter 390 praefectum esse narrat, ut piratas arceret, sed Gorgopa noctu clam persequente V naves amisisse. Non contra dico. Alii Eunomi Athenienses sed posterioris aetatis sunt: E. frater Aristogitonis (arg. ad D. c. Aristog. I. p. 764) [Cydathen. ni fallor], E. ο Θριάσιος qui praegrans natus Demosthenis adolescentis animum erexit, eius facundiam Periclis similem esse aëns Plut. v. Dem. 6. cf. Plut. p. 845 a., E. Anaphlystius κῆρυξ in psephismate D. d. f. l. §. 165, E. Aeschinis frater minimus natus, ergo Atrometi f. Cothocydes (arg. II. Dem. or. d. f. l. p. 337 cf. Dem. d. f. l. §. 124). Molottus Eunomi Aphidnaeus C. I. 172 c. 25 (ante Ol. 118.3).

(²⁰) „Immo Lycophroni (Diod. XVI. 14) scriptum testatur ms. Helmst. de quo amplius esset quaerendum, nisi rem in liquido poneret locus de Carthaginiensibus” Dobraeus advers. I. p. 283, qui, consentiente Westermanno in hist. eloq., Dionysio II hanc epistolam vindicat. Frustra.

(²¹) de quo v. Boeckh. oec. Ath. II. p. 50, Wachsmuth. antiqq. Gr. II. 1. p. 136, ed. I.

motheus Cononis filius et ditissimi quique conferebant" (2²). Possidebat qui in primam classem deferrebat, minime XII talenta, sed exsuperasse Timotheus videtur bona Demosthenis, cui pater XV talenta reliquit.

Plutarchus Thebanorum legatum statim post receptam Cadmeam de auxilio Athenas missum, a quo petatum erat, ut quomodo Cadmea capta esset exponeret, interrogantem facit, num pro iis qui adessent talia proferre liceret, cui respondetur: „ignoras — viros, quos cognitu tamen dignum patribus natos bonis (ἀγαθῶν) et vestris rebus faventibus, hiece Lysitheides ἀδελφιδόου Thrasybuli, hi Archini filii, ceteri omnes de nostro sunt sodalities (τῆς ἐταιρείας) (2³) τῆς ἡμετέρας οὔσης), benevolum igitur tibi theatrum" (2¹).

§. 3.

Agesilaus et Chabrias a. 378 et 377 Ol. 100²/₃ et 100³/₄.

(2⁵) Censum habendi novum haec erat causa, quod Athenienses gravissimo bello imminente cognitionem omnium rerum quae in bello usui essent comparandam esse sibi existimarunt. Lacedaemonii summa industria bellum parabant (nam sciebant cum Boeotia castra coniuncturos Athenienses esse ceterosque qui consilii participes erant Graecos), socii universi coacti, Agesilaus copiis, nobilissimus eo tempore imperator, praeficitur. Castra illorum praeter Argivos sequebantur omnes Peloponnesii Acarnanes Locri Phocenses Olynthii et qui in Thracia iis finitimi erant. Mercenariis, quos Clitorii tradere in illius militiam coacti fuerant, imperavit ut Cithaeronem occuparent. Quo factum est ut nemine prohibente cum exercitu XVIII mill. militum in Boeotios ingrederetur. Qua de re certiores facti Athenienses celeriter subsidio V mille pedites et CC equites miserunt (Diod. 32). Agesilaus, cum vallo et fossis fines Thebanorum circumdatos esse cognovisset, tempus aliquod moratus perripuit agrosque hostium urbe tenuis vastavit. „Hostibus non ausis in campum decedere

(2²) Dem. in Aphob. I. §. 7, III. 59 (cf. II. 11) et qui optime de his locis disputant, Boeckh. I. I. et Parreidt de Dem. or. de symmor., Magd. 1836, p. 12 sqq.

(2³) terminus, ut vocant, technicus. Latini dicunt factiones. v. Huellmann de Atheniensium συνωμοσίαις, Koenigsb. 1814, et Droysen de lite Hermocop. in Museo Rhenano 1835, Vischer: die oligarch. Partei und die Hetarien in Athen, Basel 1836, 4 (progr.), Gesch. der polit. Hetarien in Athen von 612-403, von Büttner, Leipzig 1840. Modo Droysenium inspexi.

(2⁴) Plut. de gen. Socr. 575 e; coll. v. Pelop. 6 τῶν φυγάδων Ἀθηναίων — τιμὴν ἔχοντας ὑπὸ τῶν καλῶν καὶ ἀγαθῶν — οἱ βρωτιάζοντες Xen. Hell. V. 4, 34, Aesch. c. Ctesiph. §. 138 (Din. c. Demosth. §. 35), Plut. v. Pelop. c. 14. Herrmann antiq. Graec. ed. III. p. 387, n. 11.

(2⁵) Xen. V. 4, 35. Diod. XV. 31. Ephorum (fr. 140 Marx), ut videtur ex Plut. Pelop. c. 16, sesutus; Polyb. II. 62, 6 sqq. Harpoc. v. ὅτε ἐξαικισχίλια ἦν τάλαντα, cf. Boeckh. oec. civ. II. 20. Eadem res significatur ap. Dem. Ol. β' 24 voce εἰσφέρειν. Huene Xen. de vectig. IV. 40? de cuius libri actate v. Boeckh II. 144, Meier de Andoc. V. IX. p. 19, et Boehnecke Forschungen p. 668.

Agesilaus ut quo animo uterentur ad pugnandum exploraret, primum levis armaturae milites ascendere, ubi hostes constiterant iubet. Quibus facile repulsis totum agmen fortiter instructum adducit. Chabrias vero Atheniensis dux mercenariorum⁽²⁶⁾ eos locum et ordines constanter⁽²⁷⁾ obtinere obnixoque genu scuto proiecta hasta impetum excipere hostium docuit⁽²⁸⁾. Id cum ad unum velut hortatum milites fecissent, Agesilaus et ordinem hostium opportunitatemque et audaciam intuens — superiori loco depellere eos et pugna instituta ut fortes viros se praestarent cogere non tutum existimavit. Vastatis igitur agris et relicto Thespiis Phocbida harmosta in Peloponnesum recessit. (Nep. Chab. I.) „Chabrias Atheniensis. Hic quoque in sum-

(²⁶) „Et hanc quidem pugnam (Cadmeae recuperationem), ut in libertatem Thebanos restituerent, Athenienses susceperant, sequentem, ut servarent. Iratis enim ob illam rem Lacedaemoniis et egressis cum universis copiis, ordinem exadverso collocarunt ante urbem Thebanorum et imperatores contra illos praebuerunt magis timendos (φοβερωτέρους) quam illi Agesilaum habebant et prorsus servatores liberatoresque urbis facti,” Aristid. panath. 173, 10. Scholiastae A. C, ut solent, somnati iam ante de Haliarto et Coronea ad hunc locum 173, 11: *παροξυνθέντες οί Λακ.*] certiores facti Lac. de clade suorum apud Coroneam accepta cum magna manu Agesilaum adversus Thebanos miserunt, qui omnium videbatur belli cupidissimus esse. Athenienses vero et iterum adiuverunt Thebanos et congressi ante Thebanorum urbem cum Agesilao in fugam verterunt, *στρατηγούντος αύτοίς Χαβρίου κχι Δημάδου (Δημέλου C.) B. D. ad 173, 13: στρατηγούς]* Chabriam dicit et Demeam. Missus vero est postea (Ίστερον) Agesilaus cum magna manu adversus Thebanos. Is tamen nimis (πάνυ) erat belli cupidus ut testatur Xenophon, contra quem Thebani *κατά Χαβρίου άντετάξαντο (μετά? an Chabria instruente aciem)*. Vater uti supra (not. 2) memoravimus Chabriam et Demophontem putat subsidio Thebanis ad recuperandam Cadmeam profectos esse et pergit: „Duorum ducum quos Xenophonte auctore populus capitibus damnavit alter qui fuga salutem quaesivit Chabrias fuit, mox in gratiam receptus, alter qui interfectus est, Demophon. Accedit quod Demades seu Demeas ac Chabrias tum copiis adversus Agesilaum praefuisse dicuntur, nam aut scribendum est Demophon aut si res ad insequentem annum bellumque contra Agesilaum gestum pertinet, Demeas uti e nominis similitudine colligo filius propinquusve Demophontis fuerit, qui Chabriae in gratiam recepto collega dabatur, fortasse ut nex Demophontis celerius resarciretur et quod uterque Thebanis favebat.” Tota ratiocinatio e nulla parte absoluta. Chabrias Cleombroto obviam missus fuit antequam iudicium de duobus illis ducibus habitum est. cf. not. 4.

(²⁷) Polyaeus III. 11, 1: „Chabrias militibus dicere solebat (*παρήγγελλον, plerique γειλει*). Si pugnam inibimus, ne putemus nos cum hostibus manus conserere, sed cum hominibus sanguine et arne praeditis et qui naturam eandem communemque nobiscum habeant.” cf. Lesbon. *προτροπικ.* p. 654, 30 Bekk.

(²⁸) *παρήγγειλε τοίς στρατιώταις δέχεσθαι τούς πολεμίους καταπεφρονηκότως άμα και τῇ τάξει μένοντας και τās άσπίδας πρós τó γόνυ κλίναντας έν όρθώ τώ δόρατι μένειν.* Polyaeus II. 1, 2. „Lacedaemonii adversus Thebanos et Athenienses coniunctos aciem instruebant (*παρετάσσοντο*). Levis quidem armaturae milites et peltastae Lacedaemoniis non erant usui, sed totum agmen adducere Agesilao visum est. Chabrias Atheniensibus, Gorgidas Thebanis praecipuit, ne procurrant, sed maneat quieti τὰ μέν δόρατα ερβά προτειταμένους, τās δ' άσπίδας ές γόνυ προσερεισαμένους (*lanceas rectas protendant scuta vero ad genu affigant. Vultei. — Casaub. emendavit Coraes recepit προσερεισ. pro vulg. προερεισ.*). Agesilaus peritimescens stabilem pugnae figuram recessit ducis existimans hostium robur cavere.”

mis habitus est ducibus resque multas memoria dignas gessit. Sed ex his elucet maxime inventum eius in proelio quod apud Thebas fuit, quum Boeotiis subsidio venisset ⁽²⁹⁾. — Hoc usque eo tota Graecia fama celebratum est, ut illo statu Chabriam sibi statuum fieri voluerit, quae publice ei ab Atheniensibus in foro constituta est ⁽³⁰⁾. „*Ἰστε μὲν οὖν (Dem. Lept. 75, 76) ἴσως καὶ ἄνευ τοῦ παρ' ἐμοῦ λόγου ὅτι σπουδαῖος Χαβρίας ἦν ἀνὴρ — ὃν μὲν τρόπον ὑμᾶς ἔχων πρὸς ἅπαντας Πελοποννησίους παρεταξάτο ἐν Θηβαίαις.*” (Diod. 33:) „Thebani vero servati Chabriae ductu prudens viri stratagema laudibus extulerunt (*ἐθαύμασαν*). Ille licet multa in bello clare ei gesta sunt, hoc stratagema maxime iactabat et statuAS a populo datas hoc statu poni iussit”. „De Chabriae statu in diversas viri docti partes abeunt. Et Lessing in Laocoonte p. 281 hinc effectam et expressam fuisse statuum Borghesani gladiatoris censet [et distinguit obnixoque — scil. terrae — scuto proiactaque h. i. exciperent]. Aliter Schlegel, Harles, Heinrich. Nach unserm Dafürhalten ist hier von Knieenden die Rede, welche durch Ansetzung des Schildes an das Knie [sic et Thirlw. V. p. 45, n. 1] den Körper bedeckten und durch die gefüllten Lanzen die Feinde abwehren” (Kruse v. Chabr. in Ersch. encycl. p. 96).

Sequenti anno (377) postquam Phoebidas pugnans adversus Thebanorum cecidit, iterum cum iisdem copiis Agesilaus in Thebanos expeditionem suscepit, superatisque alibi fossis valloque praedam egit. Hostes etsi cedebant, animis tamen non demissi prope murum obtinere locum et Sciritas repulere ⁽³¹⁾. Postero die cum Agesilaus Thespias rediret peltastis qui stipendia apud Thebanos faciebant audacter insequentibus et τὸν Χαβρίαν ἀνακαλούντων, ὅτι οὐκ ἠκολούθει (inclamantibus quod non subsequeretur), Olynthiorum equites conversa acie permultos interfecerunt. Prudenter ille egerat. Agesilaus domum revertens gravi morbo implicatus est.

Missus (Xen. V. 4, 59) postero anno (376, Ol. $\frac{100-4}{20-4}$) Cleombrotus cum peltastas suos occupaturos Cithaeronem a Thebanis et Atheniensibus quibusdam repulso esse cognovisset, desperato transitu pedem retulit sociosque dimisit.

⁽²⁹⁾ venisset. Namque in eo victoria fidente summo duce Agesilao, fugatis iam ab eo conductitiis catervis [ceteri scriptores: fugatis a Chabria peltastis Lacedaemoniorum, quae discrepantia tollitur si prius Lac. peltastas a sociis repulso tum sociorum a Lac. depulso esse statuis], reliquam phalangem loco vetuit cedere, obnixoque genu scuto proiecta hasta, impetum excipere hostium docuit. Id novum Ag. intuens progredi non est ausus suosque iam incurrentes tuba revocavit. Hoc —. Diodori et Nepotis is est consensus ut uni auctori debere videantur. Wessel. ad Diod.: „ex Theopompo aut Callisthene fortasse” — Sed de Ephoro melius cogitandum.

⁽³⁰⁾ Nep. Ch. I. — est. Ex quo factum est ut postea athletae ceterique artifices his statibus in status ponendis uterentur, in quibus victoriam essent adepti.” Sed Mueller archaeolog. p. 65 hoc longe antea factum esse demonstravit.

⁽³¹⁾ Diod. 34. Xen. V. 4, 54 qui superioris anni historiam exponens Chabriae et stratagema et nomen plane suppresserat, nunc unus cum adfuisse contendit.

§. 4.

Novum Atheniensium foedus.

(Diod. XV. 28:) „Athenienses [post receptam Cadmeam] ⁽³²⁾ nobilissimos ex civibus legatos miserunt civitates Lacedaemoniis subiectas hortatum ut communem libertatem affectarent (ἀντέχεσθαι).” (Plut. Pelop. 15:) „Post Sphodriac expeditionem Athenienses Thebanis συνεμάχουν καὶ τῆς θαλάττης ἀντελαμβάνοντο καὶ περιιόντες ἐδέχοντο καὶ προσήγοντο τοὺς ἀποσατικῶς τῶν Ἑλλήνων ἔχοντας.” (cf. Isoc. de pace §. 68. Etiam Thebani legatos miserunt, Isoc. Plat. 24). Multi obsequabantur. „Qua (Diod.) sociorum benevolentia elati Athenienses omnium sociorum concilium (συνέδριον) ⁽³³⁾ instituerunt et synedros cuiusque civitatis ἀπέδειξαν. Convenit autem inter ipsos communi decreto, ut consessus Athenis haberetur et aequaliter unicuique civitati et magnae et parvae unius suffragii ius et potestas foret (καὶ πᾶσαν ἐλευθερώσας πόλιν ὁ δῆμος ἰσόψηφον αὐτοῖς [sic lego pro αὐτοῖς quo verbo Wytt. significari vult Lacedaemonios] τὴν Ἑλλάδα κατέστησεν Plut. de glor. Ath. 350. E.), Atheniensibus uterentur principibus, ἡγεμόσι (προστάται τοῦ ναυτικοῦ Xen. de vectigal. V. 6, cf. V. 7). Et decreverunt (Diod. 29) ut agri per sortitionem occupati (αἱ γενόμεναι κληρουχίαι propter quas ἡδέζον ⁽³⁴⁾ dominis prioribus restituerentur legemque promulgarunt qua ne quis Atheniensium extra Atticam agrum coleret prohibebatur (Isoc. Plataic.

⁽³²⁾ Cum novi Ath. foederis nulla apud Xen. facta sit mentio, Diodoro (29) non video cur fidem denegemus, iniri coeptam esse societatem narranti, antequam Athenienses bellum Lacedaemoniis indixissent. Quam ob rem assentior Plassio [et Thirlwall V. p. 43] qui (Gesch. Griech. III. p. 609) quod Athenienses, inquit, Tim. Call. Chab. creatis imperatoribus decreverunt, viginti mille hoplitas cogi et quingentos equites navesque extrui ducentas, sociorum videtur in primo consessu decretum fuisse. Athenienses X millia militum et C naves coegisse, de quibus Polybius II. 62, cf. IV. 4, dicit, videntur.

⁽³³⁾ Schol. ad Aristid. panath. p. 174, 15 συνέδριον] τούτοστι βουλευτήριον σημαίνει δὲ τὴν ἡγεμονίαν, ἴδιον γὰρ τῆς τῶν ἀρχόντων πόλεως τὸ συνέδριον εἶναι παρ' αὐτοῖς τῶν ἀρχομένων. cf. Schol. Aesch. d. f. l. 759 (247, 8). Bekk. An. 302 Σύεδροι: οἱ ἀπὸ τῶν συμμάχων μετὰ τῶν Ἀθηναίων βουλευόμενοι περὶ τῶν πραγμάτων.

⁽³⁴⁾ ut Diod. c. 23 anno 389. Quod cum ad Lemnum Imbrum Scyrum pertinere nullo modo possit, iam quae sunt insulae, in quibus κληρουχίαι Ath. habuerunt? cf. Boeckh oec. civ. I. p. 459; Thirlwall V. p. 42. Isocr. paneg. §. 134, coll. §. 20 huc refero: „Certamus cum Lacedaemoniis de Cycladibus,” nec multum abest ut talem rem spectari a Platone in Menex p. 245 „pro Parriis (Rhodiis correxit Krueg. Stud. p. 225, not. 3, sed coniectura abstinendum esse duco) adversus Lacedaemonios pugnamus,” Sievers p. 215, n. 5 nimium quid ex Isoc. paneg. §. 16 τῶν μὲν Ἑλλήνων οἱ μὲν ὑφ' ἡμῶν οἱ δὲ ὑπὸ Λακεδαιμονίοις εἰσίν. colligit, fuisse iam eo tempore (380) Atheniensium συμμαχίαν; quamquam in Plataico 27 Isoc. ἀλλ' ἐπειδὴ διελέλυσθε τὸν πόλεμον (Corinthiacum a. 387) ἀπολιπόντες (Thebani) ὑμᾶς εἰς τὴν Λακεδαιμονίων συμμαχίαν εἰσῆλθον καὶ Χίοι μὲν καὶ Μυτιληναῖοι καὶ Βυζάντιοι συμπαρέμεναν. Foedus (post Cnidiam victoriam factum) dissolutum haud dubie est pace Antalcidea sed in amicitia perseverabant.

§. 44: „et de possessionibus vestris decessistis ut societatem quam maximam reddatis”). Qua humanitate pristinam Graecorum benevolentiam recuperarunt suumque principatum confirmarunt.” Xen. de vect. V. 6: „οὐ καὶ τότε, ἐπεὶ τοῦ ἀδικεῖν ἀπεσχόμεθα, πάλιν ὑπὸ τῶν νησιωτῶν ἐκόντων προστάται τοῦ ναυτικοῦ ἐγενόμεθα”; cf. Isoc. de pace 30, Dem. Ol. II. 24.

Perpauca nobis foederis instituta nota sunt. Synedri continuo considerabant (Aesch. d. f. l. 86), de rebus quae communem salutem spectabant omnibus (Isoc. Plat. 21) consulebant, periculumque omnes in se recipiebant (ib. 22). Deliberabant (nisi id posteriori aetate institutum) socii ante Athenienses. Ii confirmabant sociorum decretum (³⁵). Rursus vero socios crediderim num confirmant Atheniensium scita, interrogatos esse, nisi ante expresse pronunciaverant, illorum decretum se suum facturos esse (Aesch. d. f. l. 60). Iusiurandum ubi posebatur, unaquaeque civitas dabat (Xen. Hell. VI, 3, 19 coll. VI. 5, 2; Aesch. d. f. l. 85 coll. 83 ἐξώρκιζον τοὺς συμμαχούς οἱ τοῦ Φιλίππου πρέσβεις ἐν τῷ στρατηγίῳ τῷ ὑμετέρῳ). Extra fines quum res agebatur, sociorum rebus legatus ex eorum numero Atheniensibus adiuuctus consulebat (A. d. f. l. 97). Tributa omnibus conferenda erant non φέρων nomine sed nunc leniori συντάξεων notata (³⁶). Quibus e tributis stipendia militibus

(³⁵) ἐκυρίωσαν το δόγμα τῶν συμμαχῶν Aesch. c. Ctes. 69, d. f. l. 60 (ubi tale dogma), 62 sqq., 86 quorum locorum si meminissent Reiske et Schaefer, dubito num verba Demosthenis d. f. l. 15. 144, 178, δόγμα τῶν συμμαχῶν interpretaturi fuissent: decretum de sociis (genitivum sc. rati passivum esse). Neque enimvero alii sunt socii quam Atheniensium significati. Cf. Aesch. c. Ctes. 69, 70, d. f. l. 60; at τὸ Ἑλληνικὸν συνέδριον c. Ctes. 58, 61 plane diversum est. Servatum est huiusmodi documentum (de superiori tempore C. Inscr. nr. 75 et Boeckh. ad. v. 7. comparandus) in C. Inscr. 85 b, p. 898, quod totum fere iuvat recipere:

. 105 ε[τ]πει · περὶ ὧν οἱ πρέσβεις [οἱ παρὰ
Διονυσίου ἦσαν] ε[τ]λε[γ]ουσι[ν], δεδ[ό]χθαι τ
ἢ βουλῆ · περὶ ὧν μὲν [τῶν] γραμματέ[ων, ὧν ἐπ
εμ[β]λ[η]εν Διονύσιος [πρὸς τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναί
ων], καὶ τῆς εἰρήνης τοὺς συμμαχ[οὺς] δόγμα
α ἐξενεκε[ῖ]ν εἰς τὸν δῆμον, ὅ[πως] ἂν αὐτο
ῖς βουλευομένοις δοκῆ ἀριστον εἶνα
ε προσαγα[γ]εῖν ὁε τοὺς πρέσβεις [πρὸς τὸν
δῆμον] εἰς τὴν πρ[ω]τὴν ἐκ[κ]λη[σ]ι[αν] καὶ συ
λλ[ο]γεῖσθαι τὰς συμμαχ[οὺς] [τοὺς] προέδ
ρους [μὲ]ν χρηματίζε[ιν] περὶ ὧν ἀγγέλλουσι, γ
νῶμη[τ] δὲ συμβάλλεσθ[ῆ]ναι τῶν β[ου]λ[η]τῶν πρὸς τ
ὸν δῆμον[α], ὅτι δοκεῖ τ[ῆ] βουλ[ῆ], ἐπανέσ
αι μὲν Διονύσιον κ. τ. λ.

quod decretum Ol. 102.2-3 scriptum esse Boeckhius statuit. Idem de re nav. p. 27, eadem de re populi scitum sibi a Rossio missum esse dicit.

(³⁶) E. Theopompi. Phil. X. Harp. et Phot. v. συντάξεις. Bekk. Anecd. p. 300 σύνταξις φόρος φερόμενος ἀπὸ τῶν ὑπηκόων. Cf. Spanheim ad Iulian I. 166. Boeckh occ. Ath. I. p. 450 addit Plut.

dantur (Dem. in Tim. 49). Copiae pedestres et navales nescio num cuique civitati praebendae fuerint (Thebani terrestri exercitu ab omnibus sociis sublevantur, in classe Atheniensium sociorumque Thebanas novimus triremes fuisse quibus Boeotii trierarchi praecerant, Dem. in Tim. 16, 14 saepius); an, quae ratio post paucos annos inter Lacedaemonios sociosque intercessit (Xen. VI. 2, 15), pecuniis redimere militiam potuerint. Tributa illa etsi conferenda sociis Athenas fuisse existimo, non semel accidit, ut per ἀποσόλους (Plut. Phoc. c. 11) ἐπὶ τὰς νησιωτικὰς συντάξεις (Plut. Phoc. 7) missos exigenterent (Ps. Plut. Dem. 846 et Phoc. bibl. 494, 16 Demosthenes περιέπλευσε τοὺς συμμάχους ἀργυρολογῶν nisi id intelligendum est de donis sociorum voluntariis). Athenienses tamen videntur saepius supra certum debitumque exegisse. Conferebant inprimis, ut Iason contemptim ait (Xen. VI. 1, 4) νησιθρία. Proxima aetate Aeschines (d. f. I. §. 72) de oratoribus queritur, qui π. τοὺς μὲν ταλαιπώρους νησιώτας καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἕξ τάλαντα εἰσέπραττον σύνταξιν. Orcos et Eretria oppida utrumque V talenta pendebat (A. c. Ctes. 93 coll. 100).

Societas brevi tempore magna coaluit. Nam „Lacedaemonii in magna quippe potentia superbe et graviter subditis dominabantur (cf. Manso III. p. 206 sqq. Itaque multi ex iis ad Athenienses defecere. Primi Chii Byzantiique, post Mitylenaei (cae tres civitates benevolentiam etiam post confectum bellum Corinthiacum erga Athenienses servaverant Isoc. Plat. 28) et Rhodii et alii quidam insulares. Et magis magisque Graccorum studio defectionis crescente multae civitates in partes se Atheniensium adiunxerunt” (Diod. XV. 28).

Recepti in synedrium ἐπὶ τοῖς ἴσοις πᾶσιν Thebani sunt (³⁶ b); quam ob rem ab omnibus sociis adiuvantur (Diod. 28, Isoc. Plat. 19). Celeriter adiunxerunt se Atheniensium partibus omnes civitates in Euboea praeter Histiaeam (Diod. 30) (³⁷).

Quos armis belloque in libertatem vindicaverant harmostasque eiecerant ii non minus sociorum loco habitii sunt. (Isoc. Plat. 18. Plut. de glor. Ath. 351 a. πᾶσαν ἐλευθερώσας πόλιν ὁ δῆμος ἰσόψηφον αὐτοῖς τὴν Ἑλλάδα κατέστησε. Inde a sociis coronati „οἱ σύμμαχοι τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων ἀνδραγαθίας ἕνεκ' (sc. ἐστεφάνωσαν) καὶ δικαιοσύνης (Dem. c. Timocr. 180, c. Androt. 172 ubi οἱ σύμμαχοι κατὰ πόλεις).

Solon 15. — Xen. de rep. Ath. III. 5 το δὲ μέγιστον εἶρηται, πλὴν αἱ τάξεις τοῦ φόρου, τοῦτο δὲ γίνεταί ὡς ἔπος πέμπτου. „Nova descriptio tributorum fuit facta fere quinto quoque anno.” Schneider. Quam rem Bocckh (I. 452) ad spatium inter Ol. 100 et 105 interiectum referat. — Φέρου nomen non interiiit. Locos v. ap. Sievers p. 218, n. 19.

(³⁶ b) Boeotiique hi qui eorum partibus savebant, Diod. 29. Xen. de vect. V. 7, οὐκ οὐν καὶ Θηβαῖοι εὐεργετούμενοι ἡγεμονεύειν αὐτῶν [ita lego pro αὐτῶν] ἔδωκαν Ἀθηναίοις.

³⁷) Nam paullo antea Iasone opitulante Neogenes quidam Histiaeorum tyrannidem occupaverat. Quo eiecto a Lacedaemoniis in libertatem restituti cives iis constantem benevolentiam praestabant — cf. schol. Dem. Aug. ad 347, 55(p. 153, 6 Reiske).

Chabrias Cycladas insulas petens Peparethum (cf. Diod. XV. 95) et Sciathum (cf. Dem. Phil. I. 49) ac nonnullas alias Lacedaemoniis addictas in fidem suam adigit (προσηγάγετο Diod. 30).

§. 5.

Chabrias an Timotheus?

Imperatores creati a. 378 sunt Timotheus Callistratus Chabrias. Ex quibus Chabriam sociorum auxiliariis copiis in Bocotia ter praefuisse per annos 378 et 377 supra ostendimus. Nihil de collegis proditur. Mirum sane. Ac legimus Athenienses uno eodemque tempore rebus navalibus studere coepisse et Callistrato novimus novum tributorum nomen ab insulanis datorum (συντάξων Harp. s. v.) deberi et Timotheum scimus Cononis filium esse ελευθερώσαντος τοὺς συμμάχους (Dem Lept. 69, Dinarch. c. Dem. 14, c. Philoc. 17, alias). Quid igitur? Nonne navibus utrumque coniiciemus praefectum fuisse? Adde quod rempublicam Chiorum constituisse Isocrates dicitur quem constat Timothei in expeditionibus comitem fuisse et pro eo literas publicas ad Athenienses conscripsisse [cf. me V. 5] et Timotheo auctore notum est [cf. VII. 2] plerasque civitates ad societatem accessisse. Quae cum ita sint referenda esse huc existimo ⁽³⁸⁾ haec verba Plutarchi (de glor. Ath. 350 E) „Isocrates panegyricam orationem conscripsit ἐν ᾧ Τιμόθεος Εὐβοϊαν ἠλευθέρωσε et Chabrias proelio navali apud Naxum vincebat (376) et ad Lechaeum Iphicrates Lacedaemoniorum moram obtruncavit et unamquamque liberans civitatem populus Atheniensium ἰσόψηφον αὐτοῖς τὴν Ἑλλάδα κατέσκησε.” Timotheum censeo dum Chabrias terrestribus copiis praefuerit Euboeam aliasque insulas liberavisse et foederi adiunxisse ⁽³⁹⁾.

At Diodorus negotia facesset. Qui postquam exposuit, Chabriam arcessitum ab Acoride fuisse et revocatum ab Atheniensibus, de Sphodriae conatis verba facit, tum tres illos duces creatos esse mox Euboeam defecisse a Lacedaemoniis praeter Histiacam (Diod. 30) „quo Athenienses, pergit, manum ad socios sublevandos belloque hostes persequendum miscrunt — quibus copiis Chabrias praefectus Histiaeorum

⁽³⁸⁾ erit fortasse qui quod viginti fere post annis (cf. VII. 1) ad liberandam Timotheus Euboeam locutus sit a Plutarcho existimet immemori insciove huc translatum esse. Sed coniungi non debebant a scriptore Iphicratis et Chab. illa facta clarissima et verba Timothei a nemine nisi ab oratore exempli gratia laudata. Alius quis dixerit: Euboeam errore seu scriptoris sive librarii irrepsisse pro Κέρκυραν, nihil est enim in omnium ore magis tritum quam illud: Iphic. uoram concidit, Chabr. apud Naxum vicit, Timoth. Coreyram liberavit. Cui adstipularer nisi sequentibus verbis ἰσόψηφον etc. accuratorem quandam scriptor rerum cognitionem proderet.

⁽³⁹⁾ Plass. III. p. 418 simili fere ratione adducitur ut Timotheum a. 377 perfecisse in Thracia existimet ea — quae ibi eum c. a. 364 gessisse infra doccbimus.

agros populatus Metropolin ut vocatur in colle quodam munito sitam muro cinxit praesidiumque reliquit. Ipse interea Cycladas — adiunxit". Agesilaum cum multis (c. 31) copiis in fines Bocotiorum ingressum Chabrias proelio desistere cogit (32). Iterum Lacedaemonii Agesilao duce invadunt (34). τὰ μὲν οὖν περὶ τὰς πεζικὰς δυνάμεις τοιοῦτον ἔσχε τὸ τέλος· τῶν δὲ ναυτικῶν κατὰ τοὺς αὐτοὺς καιροὺς ἐγένετο μεγάλη ναυμαχία μεταξύ Νάξου καὶ Πάρου Chabria Atheniensibus imperante (c. 34). Ne terror tibi incidat, his rebus omnibus affirmante Diodoro spatium unius anni (Calliae arch. 377^{7/6}) suffecisse [cf. II. §. 5, n. 39]. Quis sibi talia imponi patietur? Iam aliorum diligentia temporum ratio haec est instituta: ineunte a. 378 Chabrias Cleombroto obviam missus, aestate a. 378 et 377 contra Agesilaum pugnat. Septembri 376 proelium Naxium. Haec Chabriae tribuenda esse optimorum scriptorum certa sunt testimonia. Quaero tamen, quo tempore Histiacam oppugnaverit quippe exeunte a. 377 arce Histiacorum a captivis Thebanis occupata ἡ πόλις ἀφίσταται (ad socios. Xen. V. 4, 56). Nec Graecorum erat quem aestate terrestribus eundem hieme navalibus copiis praeficere. Quid igitur? Diodorus non ordinem modo rerum sed etiam res videtur perturbavisse (mox perridicule nuntium de morte Chabriae affert) et Chabriae in Euboea, post in mari Aegeo (ante pugnam Naxiam) tribuisse quae Timotheus peregit. Hic Euboeam liberavit. Quomodo, si non ita esset, explicaturus es Nepotis verba qui (v. Tim. c. IV: Iason Pheraeus ad Timotheum defendendum Athenas venit — [extremo a. 373]). „Hunc adversus tamen, pergit, Timotheus postea populi iussu bellum gessit patriaeque sanctiora iura quam hospitii esse duxit." Res ut vera etsi mira sit, temporis notatio „postea" falsa est. Iasonis enim ante auctunnum a. 370 mortui res post proelium Leuctricum (aestate 371) novimus, Timotheus vere anni 372 in Asiam profectus a. 372^{2/1} nondum reversus erat. Nec vero ante 371^{2/1} causam belli aliquam excogitabimus (⁴⁰) nisi quod Iasonem etiam eiecto Neogene (not. 37) non destitisse consilio insulae subiiciendae censemus et cum Atheniensibus concurrisse. Neque aliud tempus, quamquam res mihi maxime dubia est, Polyeni (III. 9, 40) huic narratiunculae tribuere queo: Iphicrates in Thessalia et Iason tyrannus prope fluvium foedus icere volentes per internuntios sese mutuo scrutati corpora armis nudarunt. Atque ita sub pontem convenientes colloquium inierunt. Sed cum per victimas iuramentum sancendum esset, I. in pontem ascendit. Iason autem (τὸ ἱερεῖον παραλαβὼν τοῦ ποιμένος ἀπαλλαγέντος σφαγιᾶζειν εἰς τὸν ποταμὸν ἤρχετο (⁴¹). Tum

(⁴⁰) per annos 375 et 374 Tim. alibi occupatus est et Iason etsi in. a. 374 nondum Atheniensium socius (Xen. VI. 10), ut erat exeunte a. 373 (or. in Tim. 10), societate tamen cum Thebanis coniunctus erat (Xen. 1. 1. et VI. 4, 20; Plut. apophth. 193 B. ibique Wytttenb.) Atheniensium foederatis.

(⁴¹) Vultei interpretationem: „pecudem absenti pastori ereptam immolare in fluvium coepit" nemo notavit, ad verba intelligenda sunt: Victimamprehendens, postquam pastor discessit (qui

Iph. desiliens et apprehendens cultrum (scil. a Iasone depositum) a caede quidem abstinuit, sed in conditiones quae sibi placerent consentire aedit⁷.

§. 7.

N a x o s.

Postquam Cleombrotus vere a. 376 re infecta rediit, socii Lacedaemoniorum postulaverunt, ut classis instrueretur qua frumentum Atheniensium interciperere possent et copias in Boeotiam traicere. Ornatis triremibus LX cum Pollis (⁴²) nauarchus intra Aeginam Ceon et Andron stationes disposuisset, naves frumentariae citra Geracstum procedere non audebant (⁴³). Qua re excitati ipsi cives in naves ascenderunt (⁴⁴) illasque seu cedente Pollide sive absente cum parte classis ut pecuniam colligeret, in Piraeum incolumes duxerunt. Tum Chabrias dux (*ναύαρχος*) Atheniensium cum tota classe Naxum profectus machinas muris, quo celerius oppidum expugnaret appropinquari iussit. Qua de re certior factus Pollis cum subsidium laturus advenisset (⁴⁵), fit inter Parum et Naxum navale proelium. Illi classis LXXXIII navium erat, hostibus LXV (⁴⁶). Diem pugnae Boëdromionis sextum decimum quo magna Mystera Athenis celebrantur elegit (⁴⁷). [(⁴⁸) „Dimicaturus excusso ante

pecudem adduxerat neque auxilio igitur potuit Iasoni postea esse) imm. coep. Hoc Iphicratis dolo factum esse, ut Iason Atheniensibus bellum inferret censet Barbeyrac *histoire des traites art.* 225, not. 2.

(⁴²) Cf. de Pollide praeter locc. hic laudd. Xen. IV. 8, 11; Plut. Dion. c. 5; Diog. Laert. III. 19, 20; Aristid. *ὑποθ. Μιλτιάδ.* 232, 14, 233-5. Schneider eundem putat esse *Πῶλον* nauarchum a. 400, Xen. *Anab.* VI. 2, 5. De scriptura cf. Poppo ad Thuc. II. 67.

(⁴³) Ita Xen. V. 4, 60, 61 qui pergit: „qua cognita Athenienses necessitate ipsi naves condescenderunt et navali proelio cum Pollide congressi Chabria duce victoria potiuntur. Ita frumentum Atheniensibus adductum.”

(⁴⁴) certiores facti, ut volunt Boeckh C. I. n. 84, p. 123 et 897 et Sievers p. 220, n. 30 per Phanostratum Parianum, de cuius honoribus populi scitum hodie exstat.

(⁴⁵) Locum, quem prius obtinuerat inter Andrum Ceumque tenuisse nondum videtur, ubi nec poterat Chabrias sine pugna praetervehi nec debuit urbem in tergo relinquere incustoditam. Pollis e regione meridionali appropinquavit (confer qua insulae parte oppidum situm sit), si re vera inter Parum et Naxum pugna commissa est.

(⁴⁶) Diod. XV. 3/4 — Aeschin. c. Ctes. 222 ad Demosthenem *ἐξηλεγχθῆς ὑπ' ἐμοῦ LXV νεῶν ταχυ-ναυτουσῶν τριηράρχους ὕφρησημένος, πλέον τῆς πόλεως ἀφανίζων ναυτικὸν ἢ ὅτε Ἀθηναῖοι τὴν ἐν Νάξῳ ναυμαχίαν Λακεδαιμονίους καὶ Πόλλιν ἐνίκησαν* i. e. plures [orator rem auget] quam Athenienses haberent tum cum Lacedaemonios vicerunt.

(⁴⁷) Polyæn. III. 11, 2: „Chabrias ad Naxum proelio navali vicit Boëdromionis die decima sexta: pugnae navali aptam eam ratus esse diem, quoniam una erat magnorum mysteriorum” (sc.

navem ipsius fulmine exterritis per tale prodigium militibus. Nunc, inquit, potissimum incunda pugna est quum Deorum maximus Iupiter adesse numen suum classi nostrae ostendit.”] Proelium in sinistro cornu committitur (¹⁹), cui qui praecerat Cedon Atheniensis ab ipso Pollide reiectus opprimitur. Quo cum Chabrias auxilia misisset — Phocione opinor duce quem sinistro cornui praefecit — ipse cum optima classe [(⁵⁰) „trierarchis praecipit ut si in aequali et ancipiti periculo essent suarum navium signis absconditis insignitas hostium scirent. Quo facto Pollidis gubernatores Atheniensium navibus obviam facti, cum cae non haberent Atticum signum, dubii et ancipites praeternavigabant, Athenienses vero quemadmodum praeceptum erat utrinque in insignitas naves impetum fecerunt. Haec machinatio victoriam Atheniensibus attulit”] fortiter pugnans multas triremes oppressit, non paucas cepit, hostes in fugam vertit, sed non persecutus fugientes est, (non ille timens hostium desperationem, qui (⁵¹) „magis metuendum ait cervorum agmen esse leone ducente, quam cervo leonum”, sed) poenae memor qua duces post victoriam ad Arginusas insulas reportatae affecti erant, cives e mari collegit, mortuos sepelivit. In proelio Atheniensium perierunt XVIII triremes, Lacedaemoniorum XXIV, horum VIII cum ipsis viris captae. Reversus cum multa praeda in Piraeum (captivis ἐπὶ τοῦ πωλητηρίου venditis) maximam inter cives famam [honoresque de quibus v. VI. 1] nactus est, post bellum enim Peloponnesiacum primo hoc proelio Athenienses suis viribus usi vicerant (⁵²).

ea quae dicebatur ἀλαδὲ μύσαι. cf. Preller in Zimmerm. ann. 1835, n. 125). Plutarch. Camill. 19 τοῦ Βοηδορουμεῖωνος περὶ τὴν πικασέληνον; cf. v. Phoc. 6 (infra not. 52) et de glor. Ath. (n. 51). cf. Leo Tactic. XX. 199.

(⁴⁸) Frontin. I. 12, 12: „Chabrias Ath. classe dimicaturus” seq. Locus non nominatur.

(⁴⁹) Diod. I. 1: Obviam procedentibus navibus Pollis dextrum cornu ducens primus in oppositas sibi in sinistro cornu naves quibus Cedon Atheniensis praecerat impetum facit strenueque dimicans et ipsum Cedonem interfecit eiusque navem depressit. Quo cognito Chabrias navium quas secum haberet parte dimissa auxiliatum laborantibus misit et cladem correxit. ipse cum validissima classe fortiter pugnans multas triremes oppressit, non paucas cepit. Plut. Phoc. 6: Chabrias Phocionem praefecit sinistro cornui ubi acerrime dimicatum pugnaque celeriter decreta est.”

(⁵⁰) Polyæn. II. 11, 11: „Chabrias in Naxo adversus Pollin navale proelium initurus, praecipit tr. — seq.

(⁵¹) Aristid. π. παραφθ. p. 400, 10: „canunt Chabriae, post pugnam, ut mihi videtur, Naxiam, sin vero antea, non minus apte dictum. Ac sese designabat; ait enim, magis metuendum” seq. Plut. apophth. p. 187 D: solebat vero dicere, φοβερώτερον seq. „Philippo adscribitur apud Stob. LII. p. 366”, Wyt. —. Leo Tactic. XX. 128: „vetus dictum, non cervos seq.

(⁵²) Diod. c. 35: „superior autem factus hostium omnibus in fugam versis navibus ab insequendo abstinuit Arginusarum memor — cives hic illic natantes collegit, vivos servavit, defunctos inhumavit. Qua nisi cura impeditus fuisset, facile totam hostium classem pessumdedisset. In proelio . . (v. contextum) . . captae. Insigni victoria potitus Chabrias cum ingenti manubiarum copia in Piraeum revelitur magnamque est apud cives famam assecutus. Haec enim prima fuit a

In templo Minervae coronam suspendit, cui inscriptum Χαβρίας ἀπὸ τῆς ἐν Νάξῳ ναυμαχίας⁽⁵³⁾, „et vinum largiebatur Chabrias cuiusque anni decimo sexto Boedromionis die”⁽⁵⁴⁾.

„Inde Phocion fertur cum Chabrias mittere eum ad tributa insulanorum exigenda vellet et XX naves daret dixisse, si bellaturus mitteretur maioribus opus esse copiis, si ad socios, unam navem satis esse; et profectus una triremi cumque civitatibus locutus principibusque moderate et sincere (ἀφελῶς) usus rediisse cum multis navibus quas socii miserant pecunias Athenas conferentes”⁽⁵⁵⁾.

Victoribus accessisse omnes Cyclades censendae sunt (v. c. Andros)⁽⁵⁶⁾, quae Lacedaemoniis antea paruerant, nec deerunt qui ad hoc tempus post proelium

bello Pel. pugna navalis unde Athenienses victores abierunt. Apud Cnidum enim” seq. — Plut. Phoc. 1. 1. „Primam hanc victoriam respublica suis viribus usa post deditionem de Graecisre portavit et secundo Maite proeliata Chabriam ἐπερηγάπησε. Vicerunt autem in magnis mysteriis. καὶ παρεῖχεν οἶνοσχόμα” seq. Demosth. in Lept. §. 77: „vicit (Chab.) Lacedaemonios navali proelio et undequinquaginta triremes cepit.” unde Sievers p. 222, n. 40 ceteras post sepulturam captas a Chabria esse putat. Lachmann hist. Graec. p. 281, n. 3 excidisse apud Diodorum ante ἐκτώ „τεσσαράκοντα”; sed ille numerus sic confirmatur: Aristid. panath. p. 173 ἄν (rerum ab Ath. gestarum) τί παρὲς τῆς μνηστῶ; πότερον τῆς ἐν Νάξῳ ναυμαχίας, ἔργου τοσούτου; ubi schol. A. C. ad 173, 16: „classe oppugnans Naxum Chabrias Lacedaemoniis sociam cum Lacedaemonii certiores facti magna classe advenissent, congressus cum iis inter Naxum et Parum oppressit XXIV naves, ceteras in fugam vertit, δύο (II manifesto errore natum ex II. i. e. 8) cum ipsis viris cepit Athenasque duxit et qui in illis erant vendidit. BD: cum oppugnans Naxum magna classe Chabrias proelio navali adversus eos certavit inter Naxum Parumque, XXIV (D: KA e KΔ) naves oppressit, δύο δὲ cum ipsis viris cepit et captivos Athenas ducens vendidit ἐπὶ τοῦ πωλ.” In inscriptione Piraeaea ap. Boeckh. de re nav. I. a 20

. . . . αἰχμαλωτος τῶν [Τ]ιμοθεο αυτη σκευος εχει ουθεν Προθυμία αἰχμαλωτος τῶν μετα Χα

I. b 51 - - - - - Ευρωπ[η αἰχμαλωτ

ος των μετα ΚΑΒΟ . ΟΥ.

„de Charetis imperio in Ol. 101. 4 quo haec inscriptio referenda est, vix cogitandum.” Boeckh. qui Chabriae nomen supplet et corrigit. Eundem malo I. b 70 αἰχμαλωτος των μετα . . .

ου

intelligere, quam cum Boeckhio Τιμοθε]ου, cuius genitivi forma constans est in his inscriptionibus Τιμοθεο. cf. §. 7, not. 76 extr. — II. 85 est Χα - -

Apud Aeneam Poliore. c. 22 non video quo iure Casaubonus pro μετὰ δὲ τὴν ἐξω ναυμαχίαν corrigat τὴν ἐν Νάξῳ ν. ἐπιβουλευόμενος ὁ φρούραρχος Νικοκλῆς κ. τ. λ.

⁽⁵³⁾ Dem. in Timocr. 180. In Androtiana, unde reliquum hoc caput repetitum est, haec verba ommissa sunt.

⁽⁵⁴⁾ Plut Phoc. 6. Idem de glor. Ath. 349 ἑκτη μεσοῦντος (Boηδρομιῶνος) οἶνοχοεῖται τῆς Χαβρίου περὶ Νάξον ἐπιβίβια ναυμαχίας. Idem propter Platacense proelium fiebat. Plut. Aristid. 21. cf. omnino de his largitionibus Bergkium de reliq. comoed. ant. p. 302 et C. I. n. 1625, 45.

⁽⁵⁵⁾ Plut. Phoc. 7 institutum fuisse mihi videtur ut ipsi socii tributa in urbem ferrent, fortasse cum novi synedri mitterentur. Si omitterent aut maioribus extra ordinem tributis opus esset, Atheniensibus licebat ἀποστέλλους mittere (Plut. Phoc. 11; Ps. Plut. Dem. 846 A; Phot. 494 a 16).

referenda esse ea existiment quae Diodorus ante facta retulit: „ipse vero (Chabr.) Cycladas insulas petens, Peparethum (cf. Dem. in Steph. I. 28 et interpp. ad h. l. 1110, 71) et Sciathum ac nonnullas alias Lacedaemoniis addictas in fidem suam adiecit.” Nonne testis erit Demosthenes, qui „Chabrias, inquit, proelio navali Lacedaemonios vicit et XLIX triremes captivas abduxit; cepit et insularum eorum (⁵⁷) ple- rasque et nobis eas amicas reddidit cum antea infestae fuissent. Ter mille captiva corpora huc adduxit et amplius CX talenta e praeda (ἀπὸ τῶν πολεμίων) redegit. Quarum rerum omnium ex vobis quidam natu maximi (Leptinea viginti post annis habita est) testimonium mihi perhibebunt. Praeterea alias triremes amplius XX cepit, singulis vel binis potitus, quas universas in vestros portus deduxit. §. 78: Sed ut paucis dicam, unus omnium imperatorum ille non urbem non castellum non navem non militem amisit ullum, dum vobis imperaret; neque ulli hostium ullum est tropaeum de vobis et illo, vobis multa de multis illo duce.” Tum orator recitari (e publicis tabulis) iubet quas res Chabrias saluti et gloriae reipublicae consulens ubi quando et quomodo perfecit, quarum summa est (§. 80): septendecim urbes cepit, naves septuaginta, tria millia captivorum, LX talenta redegit, plurima tropaea erexit. Qua in re orator (⁶⁸) augere res et extollere verbis potuit, numeros urbium captarum navium tropaeorum fingere non potuit. Fateamur igitur, cognitionem eius actatis nostram leviolem esse quam superioris ubi Thucydidem et inferioris ubi oratores nacti simus duces adiutoresque. En novum exemplum. Triballis gente inter Thraeces nobilissima Abderam obsidione cingentibus Chabrias Atheniensis cum exercitu super- venit periculisque Abderitas eripuit hostibus e finibus eiectis. Relicto in urbe magno praesidio (⁶⁹) ipse a quibusdam necatus est (αὐτὸς ὑπὸ τινῶν ἐδαλοφονηθῆναι). Quamquam

(⁵⁶) Aesch. in Tim. §. 107. Usuras pecuniae Delii Apollinis templo debitaе, cuius administra- tioni Amphictyones praeerant, qui ab Atheniensibus mittebantur anno 374 ex parte solverant Myconii Syrii Tenii Cei Seriphii Siphnii Ictae Parii Oenaei et Thermaei ex Icaro, non solverant a. 373 Naxii Andrii Carystii. v. Boeckh. oec. civ. II. p. 214, C. I. 158.

(⁵⁷) Dem. Lept. 77. — τῶν νήσων τούτων Lacedaemoniorum intelligo propter verborum nexum: ἐνίκησε Λακεδαιμονίους — καὶ εἰλαβεν — τριήρεις — εἶλε δὲ τῶν νήσων τούτων τὰς πολλὰς καὶ παρέδωκεν ἡμῖν κ. τ. λ., quamquam unus mecum facit Markland., ipse ille in alias interpretationes propensior. Recentiores „quas nostis” explicant, „quas ecce cernere potestis” (in libro πράξεων Chabriae Tayl. — in mari Schaeef.). Ceterum totum Demosthenis locum usque ad Praeterea Sievers 222, n. 41 ad pugnam Naxiam refert.

(⁵⁸) quem cum ad verbum fere transcripserit (neque alium ullum adhibuerit scriptorem) Ari- stides in Lept. 701, 28 seq. Dind. verba eius praetermittere non dubitavi. Tzetzes schol. in Hermog. in Cramer Anecd. Oxon IV. p. 89 ubi argumentum Leptineae or. reddit:

ὁ μὲν Χαβρίας στρατηγὸς ὑπῆρχεν Ἀθηναίων·
 πόλεις δὲ πεντεκαίδεκα παρήσας τῶν Λακωνῶν
 καὶ καὶς δὲ ἐβδομήκοτα κρατήσας αἰχμαλώτων
 infra καὶ καὶς δὲ ὁ (sic) λαβὼν τῶν πολεμίων.

de morte Chabriae quippe quem viginti post annis in pugna cecidisse cum omnibus ipse refert, Diodorus nugatur, tamen nuntium illum negaverim plane respuendum esse. Aristides (60) enim (τίνος μνησθῶ); Naxi, ἢ τῶν περὶ Κέρκυραν ἀγωνισμάτων ἢ τῶν ἐπὶ Θράκης ὑπὲρ τῆς ἐκεῖ πραχθέντων Ἑλλάδος; ubi scholiastae Θράκης] „quod Abderitas et Maronitas bellum inter se gerentes Chabrias reconciliavit et Graeci in Thracia malis affecti (πάσχοντες κακῶς) a Lacedaemoniis, erepti sunt (ἀπηλλάγησαν) ab Atheniensibus bellum gerentibus cum Lacedaemoniis”. Unde ne nimium efficias Scholiastas audias supra (61) ad Aristidis de Thrasybuli rebus narrantis verba: τοσοῦτον δ' αὐτοῖς (Ath.) περιῆν ὥστε καὶ τοὺς τῶν Θρακῶν βασιλέας διήλλαξαν — haec afferentes: Abderitis auxilium tulit Chabrias in Thracia bello pressis — Maronitis et Tribalibus quibus imperabat Chales, καὶ διαλλάξας τοὺς αὐτῶν βασιλεῖς ἀλλήλοις καὶ φίλους καὶ συμμάχους ἀμφοτέρους Ἀθηναίων ἐποίησε. A. Ubi quis non videt Xenophonti deberi (Thrasybulus καταμαθῶν — στασιάζοντας Ἀμάδοκόν τε — καὶ Σεύθην —) ἀλλήλοις μὲν διήλλαξεν αὐτούς, Ἀθηναίους δὲ φίλους καὶ συμμάχους ἐποίησε. Sed non usque eo delirat Xenophon ut Tribalorum et Maronitarum reges inter se reconciliatos esse proferat. Quid igitur? Censeo confusa in utroque loco a scholiasta et ea esse quae tum in Thracia Thrasybulo duce, nunc Chabria gesta sint et ad Chabriam pertinere et quod schol. C. suo loco refert et quod A de Chabriae auxilio (omissa vero regum placatione) tradidit. Et gestum tale quid eo tempore locoque ab Atheniensibus esse, e rhetoris verbis ὑπὲρ τῆς ἐκεῖ Ἑλλάδος mecum colliges. Nec quem classi praeficerent digniorem tum Athenienses Chabria habuerunt qui modo apud Naxum vicerat insulas non paucas foederi adiunxerat. Affirmatur a levibus quidem scriptoribus sed nemine repugnante, ineptit quidem Diodorus, sed modo de morte imperatoris. Denique nactus sum quo Po-

(59) Diodor. XV. 36. Rem enarrat Aeneas Poliorc. c. 15 hunc rei finem faciens: „(urbe egressus) alius (ex Abderitis) alium ad opitulandum subsequitur, μέχρις ἡρημώθη ἡ πόλις.” Quam ob rem opus fuisse praesidio facile apparet.

(60) panath. p. 173, 15. proxime antecedentia v. in nota 52. de tali συγχύσει structurae v. Dorvill. ad Charit. p. 75, 5.

(61) panath. p. 172, 7. — Sequentia habent Scholiastae BD, quorum maior est apud me quam alterorum (AC) fides. Namque saepius ubi illi nugantur hi tacent; alibi testes exhibent soli veluti Ephorum ad 177, 20, Androtionem ad 172, 10, Xenophontem ad 173, 13, Thucydidem ad 177, 3, Demosthenem ad 179, 6 (saepius), Longinum ad 185, 18. — Inter ipsos si diiudicandum est, lectiones quas D profert non paucas antepo- nam iis quas B tradidit. — Hi ad superiorem rhetoris locum nihil nisi quod e Xenophonte constabat, ad posteriorem plane nihil notaverunt. Nisi Tribalorum apud utrumque scriptorem (scholiastam et Diodorum quos eodem auctore idque leviter usos fuisse suspicaris) mentio fieret, existimare aliquis possit narrationem e Xenophontis et Philippi regis verbis ortam esse, qui Maronitas et Thasios litem componere coactos ab Atheniensibus fuisse (ep. Phil. §. 17) narrat. Sed Maronitae Atheniensibus infensi ut erant a. 362 (Dem. in Polycl. v. infra V. 7) semper fuisse videntur, quam ob rem Abderitae contra Tribalos et Maronitas adiuvandi maxime Atheniensibus erant.

Iyaeni (⁶²) narrationem collocem; Ischolaus (Spartanus) a Chabria in Drye oppugnatus cum hic arietes admovere vellet prior ipse muri partem deiecit eo consilio ut sui fortius, non confisi muris, pugnarent et opera hostium despiciere videretur. (Qua re perterriti) hostes ingredi in urbem non ausi sunt. Ischolaus praefuisse in illa regione civium copiis videtur terrestribus et navalibus siquidem classem suam Aeni ab impetu maioris classis Atheniensium tutatus est. cf. etiam §. 4 Isch. in oppido (non nominato) obsidione ab Atheniensibus cingitur. Factum id esse non post pacem a. 371 compositam potest, qua pace omnia praesidia educi ex oppidis iussum est nec post hunc annum pugnatum est ab Atheniensibus et Lacedaemoniis, praesertim ab Ischolaio qui ineunte a. 369 interfectus est (Xen. Hell. VI. 5, 24). Neque ante 387 videtur Drys oppidum ab Iphicrate exstructum fuisse (v. supra II. §. 4 c. f.) nec denique intra annos 387-378 de bello aliquis Atheniensium Lacedaemoniorumque somniabit. Restant igitur anni 378-371 e quibus Chabriae perspectis rebus annos 376/5/4 eligere non dubitabis. Utut res est, Atheniensium aucta eo tempore in Thracia est auctoritas. Fortasse tum Selymbria ad societatem accessit (⁶³). — [Tempus magis idoneum quo Chabrias Samiorum portum occupaverit (v. infra V. 3) ignoro.]

§. 7.

Timotheus in mari Ionico.

Ineunte a. 375 (Ol. 101. 1) cum Lacedaemonii magna manu invadere in Boeotos constituissent, Thebani per legatos ab Atheniensibus petierunt, ut exercitum

(⁶²) II. 22, 3. — Eodem circiter tempore facta pugna navalis est, de qua Isaeus loquitur in or. de Philoct. her. §. 27. Num huc referendi sunt honores, quibus Chabriam Chii affecerunt, Dem. Lept. 81? an Diotimi stratagema quod circa Chium factum est. Quod ibidem secundo loco memoratur Chabriae simillimum est artificium, immo idem atque illud quod Pol. III. 41, 3 narrat: „Ch. cum naves speculatrix XII appulissent neque amplius progredi auderent (ἐπι ἀναχθῆναι; Cor. ἐπαναχθῆναι) sic ut progredierentur elicit. Naves XII binas et binas coniunxit duarum vela in unum contrahens (Casauboni emendationem edd. receperunt *ναὺς δεκαθύο κατὰ δύο ζεύξας καὶ* [Maasv. *navult ἐπι*] *τὰ ἰστία τῶν δύο* [M. *τῶν δύο*; Cor. *ταῦν δύο*]) ἐπὶ μιᾶς ἀράμενος — pro vulg. *ναυσὶ* [i ortum videtur e sequente *δεκα*] δ. κ. δ. ζ. ἐπὶ τ. ἰ. τῶν νεῶν ἑ. μ. ἐρέμενος. Ego desidero verbum quod vocant finitum et latere mihi videtur in priori ἐπι, v. c. ἐπανήγετο vel post ἐπι aliquid excidisse velut τὸ πέλαιος ἀνήγετο. cf. V. 22, 2; I. 47). Quibus hostes contentis quasi adversus sex ipsi duodecim habentes aggressi sunt (ἐπανήχθησαν). His longius in mare progressis Chabrias velis deductis scaphas disiunctas immisit et dimidiam partem classis hostium una cum viris cepit.” Simili artificium usus in pedestribus copiis „Iphicrates si plures hostibus milites haberet et hoc ab hostibus ignorari vellet, ut contemptu plenos (*καταφροσύντας*) eos caperet unum lectum binos milites facere iussit et vicissim in eo requiescere armaque coniunctim ponere. Sin paucos haberet ne contemneretur singulos milites bina strata facere iussit et celeriter in alium locum traduxit. Hostibus vero strata videntibus et multitudinem admirantibus tum demum adortus proelium committebat” (Polyaen. III. 9, 19).

circa Peloponnesum mitterent quo facto existimarunt Lacedaemonios prohibitum iri ne coacti suos fines sociorumque illius regionis defendere simul copias satis magnas in Bœotiam traducerent. Athenienses vero Lacedaemoniis propter Sphodriæ facinus irati libenter circa Peloponnesum classem LX navium instructorum miserunt, quibus Timotheum ducem elegerunt' (Xen. V. 4, 62). — „ad hunc περίπλους τὸν περὶ Πελοπόννησον τρία καὶ δέκα μόνον τάλαντα δούσης (αὐτῷ τῆς πόλεως) καὶ τριήρεις πενήκοντα" (64). — „Idem classi praefectus circumvehens Peloponnesum, Laconicem populatus classem eorum (Laced.) fugavit, Corcyram sub imperium Atheniensium redegit" (65) — („Timotheus circumvectus statim Corcyram occupavit — ὑφ' ἑαυτῷ ἐποίησατο" — Xen. I. I.); — „nec tamen in servitutem redegit neque incolas in exilium eiecit nec leges mutavit (66), quo factum est ut civitatum quae illic erant omnium maiora essent erga eum studia (Isocrates de permut. §. 111. Idem pergit:) Quomodo factum est ut e viris qui clari apud vos habentur et belli esse periti videantur ne vicum quidem nonnulli capere potuerint, Timotheus vero nec valido robustoque corpore usus (οὔτε τὴν τοῦ σώματος φύσιν ἔχων ἔρρωμένην) neque in vagantibus castris (sc. mercenariorum) tritus (κατατετριμμένος cf. Xen. Memor. III. 4, 1) sed vobiscum πολιτευόμενος talia tantaque perfecit? (§. 116:) Inter Timotheum enim et ceteros hoc intererat quod de rebus Graecorum et sociorum ac de ratione iis utendi non idem quod vos sentiebat. — (§. 121:) Sed magis etiam [etsi tales tantaeque erant virtutes eius imperatoriae] ob iustitiam aliquis eum laudavit. Videns enim a vobis eos solum viros haberi qui

(63) Dem. de Rhod. lib. 26, ac nescio an Chalcedonii quoque, nisi verba εἴχετε ὃ αὐτὸν ad tempus pertinent pacem Antalcideam clademve Aegospotamiam praegressum.

(64) Isocr. de antid. §. 109. Ad alendum LX navium classem sine militibus per unum mensem XX talentis opus erat. v. Tayl. ap. Voemel ad Dem. Phil. I. §. 28. Demosthenis verba huc faciunt in Androt. 15: „Et quorsum attinet vetera recensere? Postremo enim Laconico bello [Schol. August. ad 598, 2 ὁ γενόμενος περὶ Κέρκυραν οὗ καὶ μέμνηται Ξενοφῶν ἐν τῇ ε' τῶν Ἑλληνικῶν v. infra IV. §. 3 et 5. Mihi vero orator totum bellum et tempus pugnam Naxiam praegressum videtur non minus in mente habuisse quam Timothei expeditionem] cum naves mittendi nulla vobis facultas fore videretur, scitis qualis rei publicae fuerit conditio et erum venale fuisse" [de quo Funckhaenel ad h. l. p. 58 conferri iubet Boeckh. oec. civ. I. 114, II. 411.

(65) Nep. Tim. II. — περιπλεῖν τὸν Πελοπόννησον res erat summi honoris. cf. Himer. or. V. §. 14 de Nicia, Plut. de glor. Ath. 345 D. de Tolmida.

(66) Corcyraeos in foedus Atheniensium receptos esse et veri est simile et inde consequitur quod iidem paullo post cum a Lacedaemoniis premerentur Athenas miserunt qui docerent: magnam amissa Corcyra iacturam Athenienses facturos esse, ἐξ εὐδαιμονίας γὰρ πόλεως πλὴν γε Ἀθηναίων οὔτε ναῦς οὔτε χρήματα πλείονα ἂν γενέσθαι. Attamen Corcyraeorum foederi non multum tribuam, qui res Graecorum non videntur curavisse nisi vel huius vel illius factionis principes auxilia ab exteris civitatibus petebant. Neque inde quod Conon olim plebem Corcyraeorum adiuvit (si vera res est: v. Diod. XIII. 48 coll. Wachsm. Antiq. I. p. 735, Harless in censura libri: de Corcyraeorum republic. scr. Mueller, ap. Zimmerm. 1837, p. 790) filio commodi quidquam potuit tanto interiecto spatio existere.

minas iacerent metumque reliquis urbibus incuterent et in sociis semper novi aliquid moverent non obsequabatur vestris opinionibus nec nocens reipublicae voluit ipse laudes acquirere, sed sic meditabatur agebatque ut nulla Graecarum urbium ipsum timeret sed bono omnes animo essent praeter iniuste agentes. (§. 122: E timore enim odium nasci sciebat.) Quo usus consilio hostes per copias reipublicae subiecit, suis moribus benevolentiam ceterorum comparavit, maius hoc esse ratus et pulchrius *γραπάγημα* quam multas urbes capere et saepe pugnando vincere [Ael. v. h. III. 16. „Uter vero praestantior dux fuit, Demetrius Poliorcetes an Timotheus Atheniensis? Ego indolem et genium utriusque explicabo, vobis autem praeferre alterutrum licet. Demetrius vi et imperii amplificandi cupidine et maxima damna et iniuriam inferens (*βία καὶ πλεονεξία καὶ λυπῶν τὰ μέγιστα καὶ ἀδικῶν*) urbes capiebat, admotis machinis et muris concussis suffossisque, Timotheus vero suadens et docens oratione utilius esse, dicto audientes Atheniensium esse.”] (§. 123:) Adeo vero operam dedit ne qua urbs vel minimam de se suspicionem insidiarum caperet, ut si quam ex iis quae tributa non ferrent praetervehi vellet, per nuntios magistratibus indiceret ne subito ante portus conspectus tumultus et perturbationem excitaret. (§. 124:) sin accideret ut ad terram appelleret, milites non patiebatur diripere et expilare et vastare domos, sed tantam ne tale quid eveniret curam impendebat quantam ipsi possessores. Neque enim id agebat ex quo ipse gloriam apud milites sed unde respublica apud Graecos consequeretur. (§. 125:) Atque vi captas urbes tam humaniter et secundum leges quam alius nemo socias administrabat existimans, si talem se praerberet erga eos qui bellavissent, se maximam fidem daturum fuisse ne in ceteros unquam peccare conaretur. (§. 126:) Et ob laudem hinc natam multae urbes e numero earum quae alieno a vobis animo erant illum apertis excipiebant portis, ubi ille nullum tumultum movebat sed uti *οἰκουμένης* (habitas administratasque) ingressus deprehenderat, ita egressus relinquebat⁽⁶⁷⁾. (§. 127:) Hoc maximum est, quum illo tempore multa inter Graecos mala fierent, illo duce nemo audiat seditiones motas esse vel formas civitatum mutatas vel caedes eiectionesve factas vel aliud quid malorum insanabilium, sed adeo tales calamitates illo tempore sopiebantur, ut unus ille eorum quorum memoriam tenemus nulla reipublicae convicia apud Graecos ciceret.” Fidem igitur Nepoti habebimus (c. II.) pergenti: „sociosque idem adiunxit Epirotas Athamanas⁽⁶⁸⁾ Chaonas omnes-

⁽⁶⁷⁾ But he (Isocrates, Thirlwall ait V. p. 206) has neglected to mention under what pretext he compelled those which he conquered to join the Athenian confederacy. And we can only suspect that he took advantage of their political dissensions and professing to side with one party reduced all to submission.

⁽⁶⁸⁾ Multi me invito „Acarnanes” correxerunt. Athamanas enim cum Molossis componit etiam Strabo VII. 7, 1. eosque ad Molottorum populum adnumeratos fuisse Merleker dicit (de terra et incolis Epiri. Koenigsb. 1841, p. 14), licet vix apud illam gentem valere Athenienses quidquam

que eas gentes quae mare illud adiacent" et Diodoro (XV. 36 post interfectum Chabriam) „Timotheus accepto classis imperio profectus in Cephalleniam τὰς τ' ἐν αὐτῇ πόλεις (⁶⁹) προσηγάγετο; atque Alcetae Molottorum regis (⁷⁰) amicitia sibi parata et plerisque quae illic essent civitatibus in deditionem acceptis (εξιδιοποιησάμενος) Lacedaemonios ad Leucadem proelio navali vicit. Quae omnia celeriter et minimo negotio perfecit et persuadens vi orationis et vincens fortitudine virtuteque imperatoria (δι' ἀνδρείαν καὶ στρατηγίαν). Qua re non solum inter cives sed apud ceteros etiam

potuerint, quam supra Actolos (c Strab. X. 2, 1) Thessalis finitimam (ib. X. 1, 16) et Macedonibus (c Polyb. VIII. 19, 4, Livio XXVIII. c. I.) habitavisse constat. Nec vero alia Chaonum ratio erat, nemine tamen adhuc eicere hinc conante. Omnino de his populis cf. Letronne Journ. des savans, Avril 1826, p. 197 seq.; de rebus Molossorum et Thesprotiorum superioribus Meierum de Andocid. VII. XVIII, p. 107, Popponem ad Thuc. II. 80, 81. Acarnanes Atheniensibus in Peloponnesio bello amicissimi (Thuc. II. 9; III. 94, saepius) etiam postea apud Corinthum adversus Lacedaemonios pugnaverunt (Xen. Hell. IV. 2, 17; cf. IV. 6, 1), mox vero Agesilai expeditionibus coacti in fidem se Lacedaemoniorum aggregaverant castraque Agesilai a. 378 in Boeotiam irrumpentis sequebantur (Diod. XV. 31).

(⁶⁹) Reiskii haec coniectura pro vulgata τὰς τε καὶς τῆ πόλει π. optime confirmatur verbis sequentibus καὶ τὰς κατὰ τὴν Ἀκαρνανίαν ὁμοίως ἐπεισεν ἀποκλίνειν πρὸς Ἀθηναίους (cf. quoque Diod. XI. 36). Corcyrae nullam a Diodoro mentionem fieri quis non cum Mitford (history of Greece VI. p. 174 not.) mirabitur? Vix error est potius mendum Diodori qui breviter rem attingens cum longe clarissimam modo insulam nominare vellet, Cephalleniam (posthac ab Iphicrate subiectam, Xen. VI. 2, 33) pro Corcyra intulit. Huiusmodi multa apud levissimum auctorem reperies nec librario tribuenda nec coniciendo sananda. Atque vix obest sententiae meae quod in Cephallenia quidem urbes erant plures (v. Poppo prolegg. ad Thuc. 2, p. 152), praeter Corcyram in insula eiusdem nominis nulla.

(⁷⁰) Paus. I. 11 (cf. Wicheis ad Theopomp. fr. 232): „Neoptolemo (patri Olympiadis) et Arybbae (patri Acacidae a quo Pyrrhus ortus) pater erat Alcetas Tharypi filius. A Tharypo autem retro ad Pyrrhum Achillis f. sobolis XV gradus numerantur. §. 3. Fuit autem Epirotarum imperium usque ad Alcetam et Tharypum in unius potestate. Nam Alcetae filiis inter se dissidentibus visum est regnum dividere." Diod. XV. 12: „Dexitheo arch. (Ol. 98. 4, 3⁵⁵) Dionysius ut principatum maris Ionii teneret foedus cum Illyriis conciliavit per Alcetam Molossum qui exsul tum Syracusis morabatur —, Illyrii armis et militibus a Dionysio aucti — irruperunt in Epirum et Alcetam in regnum restituerunt (κατήγαγον), οὐδένος δ' αὐτοῖς προσέχοντος (dum nemo se illis opponit Rhod.) τὸ μὲν πρῶτον terram vastarunt, tum vero Molossis in aciem prodeuntibus acre fit proelium, quo superiores Illyrii Molottorum supra X millia trucidarunt. Qua de re certiores facti Lacedaemonii auxilio Molottis misso magnam barbarorum ferociam compescuerunt." Non video quo iure hinc Sievers (p. 164) Alcetam Lacedaemoniorum socium dicere possit. Illyrios qui Alcetam reducerant Lacedaemonii repulerunt. An Alcetas regno opera Illyriorum potitus negligere coepit? et ipse Molossos suos in aciem adversus Illyrios eduxit? Sed ut tale quid e Diodoro elicias mutandum erit οὐδένος δ' αὐτοῖς προσέχοντος in οὐδέν δ' αὐτοῖς αὐτοῦ προσέχοντος vel simili modo. Equidem restitutum opinor (fortasse sic cogitavit Sievers) Alcetam ab Illyriis fuisse nec vero a Lacedaemoniis expulsam sed in sociorum et amicorum numero ut a Dionysio ita ab illis habitum esse. Molesta vero amicitia Lacedaemoniorum.

Graecos magnas sibi laudes comparavit." „Contra et Lacedaemonii, Xenophon pergit (V. 4, 65), classem instituunt et Nicolochum (⁷¹) praefectum, hominem admodum audacem mittunt, qui cum Timothei naves conspexisset nihil cunctatus, etsi sex triremes Ambracienses (⁷²) aberant, sed cum LV navibus in proelium adversus sexaginta Timothei ire ausus est. Et tum quidem victus est tropaeumque Timotheus Alyziae (⁷³) collocavit." Plura de hoc proelio narrant Polyaeus (III. 10, 4; cf. Leo Tact. XX. 199) „Athen. et Laced. navale proelium committebant, Timotheo illis, his Nicomacho (sic) imperante (*ναυαρχοῦντος* Cor.). erat festum Scira (mense Iunio) (⁷⁴). Timotheus hac die myrto triremes coronans solvensque signo elato navali pugna vicit, milites enim cum bona spe pugnam faciebant numen sese rati socium habere." et Frontinus (I. 12, 11): „Timotheus Atheniensis adversus Corcyraeos (⁷⁵) navali proelio decertaturus, gubernatori suo qui proficiscenti iam classi signum receptui coeperat dare, quia ex remigibus quendam sternutantem audierat, Miraris, inquit, ex tot millibus unum perfrixisse?" Idem (⁷⁶) (II. 5, 47): „Timotheus dux Atheniensium adversus

(⁷¹) eundem, ni fallor quocum Iphicrates ante tres Olympiades in Hellesponto rem habuerat. v. supra II. 2 c. f.

(⁷²) Ambracienses et Leucadii semper a partibus Corinthiorum stabant, tum coniunctorum cum Lacedaemoniis. Ambracias illas naves credo a Polyaeo in loco mox afferendo significari.

(⁷³) Strabo X. 2, 22: „Inter Leucadem et sinum Ambracium palus est. Tum proxime Leucadem oppida Paluros et Alyzia sita sunt in Acarnania; Alyzia XV stadia a littore abest in quo sacer portus et Iherculus fanum." cf. Poppo prolegg. 2, p. 155.

(⁷⁴) Wachsmuth. II. 2, p. 287. Schol. Ar. Eccl. 18. Σκίρα ἑορτή ἐστὶ τῆς Σκίραδος Ἀθηναῖς Σκίροφοριῶνος ἱεῖς — Plut. de glor. Ath. 350 A. τὴν δὲ δωδεκάτην τοῦ Σκίροφοριῶνος αἰρωτέραν ἐποίησεν ὁ Μαντινεῖκος ἀγών.

(⁷⁵) Ex quo errore Frontini facile coniciamus stratagema hoc quod referat tum quum Timotheus praesto esset Corcyraeis factum esse. Nec Polyaeus locum protulit, qui (III. 10, 2 cf. Leo Tact. XX. 198) „Timotheus, inquit, solvebat cum universa classe. Facta sternutatione gubernator quietem agi iussit. Nautae triremes conscendere non audebant. Timotheus subridens, Qualem, inquit, auspiciam contigit, si tot circumstantibus unus sternutavit? Nautae risu moto solverunt." E Graecis maxime Athenienses et Spartani *διοσμημίας* perterrebantur (Paus. III. 5, 8) inter quas sternutatio magnam vim habet. cf. Xen. Anab. III. 2, 9, Plut. de gen. Soc. 581 B.; Wachsmuth II. 2, p. 280, Maasv. ad Polyae. I. I. Viri sapientiores (ita Iphicrates cf. I. 3; et Chabrias cf. III. 6 in.) aut non fidem talibus signis habebant aut in commodum utebantur.

(⁷⁶) Polyaeus de eadem re III. 10, 12: „T. navalem pugnam ad Leucadem initurus cum Nicolocho Spartiata praecepit ut plurium navium *πληρώματα* in terra iuxta mare acquiescerent, et cum viginti quae optime navigarent triremibus solvens mandavit trierarchis ne intra teli iactum cum hostium triremibus congregarentur, sed declinarent utroque terga verterent, (eo consilio) ut hostium remiges defatigaretent. Cum igitur hi tergiversarentur, illi prae aestu ac labore dissolverentur, Timotheus receptui cecinit et navibus appulsis ad littus eos qui quietem egerant remiges imposuit et celeriter hostes defatigatos persecutus multas eorum triremes partim submersit partim navigando inutiles reddidit." §. 6: „T. navali proelio cum Lacedaemoniis certaturus ipse e navibus remiges in puppi habens quiescebat, velocium vero quas habebat XX navium trierarchis

Lacedaemonios navali acie decertaturus cum instructa classis eorum ad pugnandum processisset, ex velocissimis navibus viginti praemisit, quae omni arte varioque flexu cluderent hostem. Ut primum deinde sensit, minus agilter moveri adversam partem, progressus praeterlassatos facile superavit."

Timothei victoria maioris quam ex certamine colligas momenti erat. Neque enim Lacedaemoniorum proelio illo opes fractae erant, nec Timotheus nullo accepto damno evasit. Nam Polyaeus (III. 10, 13) (77) „T. pugna navali victis Lacedae-

praecepit ut adversus hostiles educerent et crebros motus ac flexus facerent. Hostes igitur remigando defatigati imbecilliter remos agitabant. Timotheus recens cum remigibus superveniens (ἐπανάχθεις) navalem victoriam adeptus est." §. 16: „T. cum Corcyraeensis ceterisque sociis contra Lacedaemonios pugnaturus naves optime navigantes primo loco collocavit, imperans, ut instructa acie „reliquae" (hoc verbo contra morem omisso Polyaeus rem reddidit obscuriorem) quietem agerent. Cum priores satis pugnassent ac valde hostes defessi essent, signum quiescentibus extulit. Qui recentes facto impetu defessos in fugam verterunt"; — cf. Leo Tact. XIX. 49. Schol. ad Aristid. panath. 173, 17 ἡ τῶν περὶ Κέρκυραν ἀγωνισμάτων] „Corcyra Λακεδαιμονίων οὔσα ab Atheniensibus oppugnabatur Timotheo imperatore. Certiores autem facti Lacedaemonii non parvam manum miserunt ducemque Nicolaum (sic). Timotheus vero τὴν τε Κέρκυραν παρεσήσατο et Lacedaemonios oppressit" ΔC; — quanto accuratius BD, Xenophontem ut videtur secuti, „cum T. C. caperet et iuxta eam Lacedaemonios et Nicolaum nauarchum vinceret et ἐν Ἀλύζῃ (Ἀλυζῆ D) tropaeum collocaret καὶ ἐπεκράτησε τὸν κατ' ἐκεῖνον τόπον (D τῶν — τόπων. Legendumne τῶν — τόπων? ἢ τῶν κατ' ἐκεῖνο [an ἐκεῖνη] τόπων?) In inscriptione Piraeaeae I. (paullo post 101. 1 composita) nominantur:

a. v. 19 - - - - - Ωρε

ἰθὺια αἰχμαλωτος των μετα Τιμοθεο αυτη σκευος εχει ουθεν Schiff αἰχμαλωτος τῶν [T]μοθεο αυτη σκευος εχει ουθεν. Προβλημα cf. III. 6, not. 52.

ib. b. 65 - - - [- Ωρ

ἰθὺια αἰχμαλωτος [των μετα
α Τιμοθεο αυτη σκευ[ος εχει
ι ουθεν Αγγυρ[α αἰχμ
αλωτος των μετα Τιμο[θεο α
υτη σκευος εχει ουθε[ν Schiff

v. 70 α αἰχμαλωτος των μετα . . . (cf. me III. 6.)

. ου αυτη εχει κωπας

v. 77 - - [- Schiff

νεσις αἰχμαλωτος [των μετα T
ι]μοθεο αυτη σκευος [εχει ουθ
ε]ν

(77) Idem §. 17: „T. circa Leucadem navali proelio Lacedaemonios devicit. Multis contritis scaphis decem hostium naves supererant proelium navale nondum expertae quas metuebat. T. revertens ad navium stationem classem falcata figura instruxit et exteriori orbe adversus hostes verso fractisque navibus intus coactis ad terram navigare coepit, iubens secundum puppim impelli, ut proris exadversum collocatis facile se ab hostilibus decem navibus defenderent. Hunc ordinem ii qui in decem navibus erant metuentes non aggressi sunt." cf. Leo Tact. XX. 201.

moniis metuens decem naves Laconicas quas ad deducendum naves frumentarias praefectus classis praemisera, ne in discedentes Athenienses impetum facerent, trierarchis interdixit ne pristinum ordinem quaerent sed quem in praesenti quilibet locum occupasset, cum teneret, ne dum in suos ordines scaphae traducerentur, advecti hostes solutam classem aggredierentur. Collocatis vero in falcata figura navibus rostra et exteriorem orbem navium adversus hostes direxit, coactis in orbem navibus fractis captivisque interiorem τοῦ μνησείδου (hanc Casauboni coniecturam pro μηδικού alteri eiusdem, ναυτικού, anteposuit et recepit Cor.) secundum puppim navigavit." Quam historiam quodammodo producit Xenophon, qui „Nicolochus, inquit, cum subductae essent Timothei naves ut reficerentur, advectis ad se Ambraciis sex illis triremibus Alyziam navigavit, ubi Timotheus erat. Quo in aciem non educente ille rursus trophaeum in proximis insulis collocavit. Sed Timotheus refectis quas habebat navibus aliisque ex Coreyra adiunctis, ut iam plures essent quam septuaginta, longe classe superior erat, pecunias tamen qui a civibus peterent mittebat, multis enim ob navium multitudinem indigebat." Athenienses proficiscenti tredecim talenta dederant. Mirum est quomodo Timotheus sociis non vexatis tantum exercitum alere tam diu potuerit, etsi vendita praeda nonnihil cepisse existimandus est nec semel artificium excogitavisse. Ps. Aristot. (oec. II. 23, p. 1350 Bekk.) „T. circa Coreyram bellum gerens et inopia argenti laborans cum milites postularent nec dicto audientes essent et ad hostes se transituros esse minarentur, [mercenarii igitur sociive in eius exercitu erant] convocata concione dixit ob tempestates pecuniam apportari non posse, sed tantam sibi rerum copiam esse ut frumentum trium mensium quod antecepissent dono iis daret. Qui Timotheum rati non proiecerunt id fuisse, nisi re vera pecunias expectaret, non solliciti de mercede quietem agebant dum ille quod vellet perfecisset."

Timotheus vero summas laudes apud cives consecutus amplissimis honoribus [cf. VI. 1] affectus est. Illi est etiam maxime tribuenda:

§. 8.

Pax anni 374 (Ol. 101. $\frac{2}{3}$).

Lacedaemonii duabus acceptis cladibus gravissimis et imperio maris Aegaei et Ionici privati (⁷⁵) iam occurrere Iasonis Pheraci consiliis non ausi sunt. Copiarum enim suarum magna pars in Boeotia castra ad defendendos socios habebat, qui in gravioribus post Pelopidae victoriam Tegyresem (375, Ol. 101. $\frac{1}{2}$. Plut. Pel. c. 16, Diod. XV. 37) angustiis versabantur. Sed pacis Lacedaemonii auctores non fiebant. Athenienses enim cum Thebanos augeri in dies cernerent totamque Boeo-

(⁷⁵) usque ad proelium Naxium deducunt Lacedaemoniorum maris principatum Dem. Phil. γ' 23, Dion. Hal. antiq. Rom. I. p. 9, cf. Clintone app. VII.

tiam vi et verbis in potestatem redigere ⁽⁷⁹⁾ et magnos e foedere fructus capere, officia vero quae subiissent non praestantes — nihil enim ad parandam classem conerebant (cf. Aristid. Leuct. I. 413, 10) — ab amicitia se Thebanorum remove coeperunt. „Thebani, Isocrates ait (Plat. 37), Oropiorum qui ultro se in fidem Atheniensium dederant oppidi subiiciendi consilio demum postquam Athenienses se illos e foedere exclusuros esse minati sunt destiterunt.” Quae cum ita essent Athenienses tributis exhausti vexatique praedationibus ex Aegina finiumque suorum custodiis finem bello imponere cupierunt missisque Spartam legatis pacem conciliarunt ⁽⁸⁰⁾.

Xenophon postquam extremo libro superiori in Thebanos irruptionem factam esse exposuit nec quo anno Cleombrotus expeditioni praesesset (376) nec quo Timotheus circa Peloponnesum navigaret (375) — quibus temporibus usi Thebani omnes Boeotiae urbes subegissent (κατεστρεψαντο), novum librum incipiens ⁽⁸¹⁾ „Lacedaemonii, ait, sociique in fines Phocensium cogebantur; Thebani in suam terram reversi aditus custodiebant. Athenienses et Lacedaemonii pacem fecerunt.” ad res igitur novi anni enarrandas transiit. Itaque vere circiter anni 374 pax facta est. Sunt qui compositam esse negent ⁽⁸²⁾. Sed apertis verbis sic Xenophon (etiam VI. 3, 4 ubi Callias Spartae a. 371 dicit „iam bis (387 et 374) pacem conciliavi”), sic Isocrates qui (de antid. 110) „Timotheus Coreyram cepit et circa idem tempus Lacedaemonios proelio navali vicit illamque coegit pacem conciliare quae tantam rerum utriusque urbis mutationem effecit, ut nos ab illa die ei (Paci) sacra quotannis, tamquam nulla alia adeo aucti, faciamus, Lacedaemoniorum autem post hoc tempus a nemine conpecta sit nec classis citra Maleam circumnavigans nec terrestris exercitus per Isthmum iter faciens, quam quis summam Leuctrensis calamitatis causam fuisse existimaverit.” — „Devictis enim ibi (ap. Leucad.) proelio navali ab Iphicrate (sic) Lacedaemoniis placuit (Atheniensibus) Paci sacra facere” (Schol. BD ad Aristid. panath. p. 178, 5); et Demosthenes (c. Androt. 15 cf. not. 64 et Ulpian. ad. p. 134 c) pergit: „sed postquam naves misistis pacem nacti estis qualemcunque voluistis.” Sic Nepos (Tim. II.) pergit: „Quo facto Lacedaemonii de diutina contentione destiterunt et sua sponte Atheniensibus imperii maritimi principatum concesserunt pacemque his

